

MISCELLANEE
BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE





Zu der

öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des hiesigen

Königlichen Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums,



welche

am 25. März 1836,

Vormittags von 8 und Nachmittags von 2 Uhr an,

veranstaltet werden soll,

ladet

die Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens und des Gymnasiums

ehrerbietigst ein

Friedrich Gottlob Starke,

Doctor der Philosophie und Professor.

Neu-Ruppin,

gedruckt bei Gustav Kühn.

rol. 10

DE

ANTIQUISSIMA LEGIONE ROMANA,

PHALANGIBUS MACEDONICIS SIMILI,

ET DE EA,

QUAE BELLI LATINI TEMPORIBUS FUIT.

SCRIPSIT

DR. F. A. KAEMPF.

DE

ANTIQUISSIMA LEGIONE ROMANA, PHALANGIBUS MACEDONICIS SIMILI, ET DE EA, QUAE BELLI LATINI TEMPORIBUS FUIT.

Verum est in militia, si in qua alia parte rerum Romanarum, quod Polybius de Romanis praedicat, *ὅτι ἀγαθοί εἰσιν, εἰ καί τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον* [1]). In ea nihil fuit, quod ob solam consuetudinis diuturnitatem retineretur, nihil quod non statim ad praesentem usum atque necessitudinem aptissime transformaretur. Galli novo bello Italiam perterruere: immutaverunt aciem, ut inusitata forma, inaudito robore hominibus resisterent, mox eosdem vincerent. Antiquissima equitum arma non satis commoda fuerant: assumpsere nova, quae ad omnes pariter usus apta essent [2]). Pyrrhus invisis in Italia belluis virtutem Romanam bis vicerat: novas artes invenere, quibus elephantorum impetus eluderent [3]).

Hinc factum est, ut si quis in militiam Romanam accuratius inquirere velit, diligentissima diversorum temporum ratio habenda sit, ne quae ad Scipionum, vel Caesaris, vel Imperatorum aetatem pertinent, ad Romuli tempora referantur; id quod non in militia solum, sed in omni antiquitate jam veteribus scriptoribus accidisse constat. Quare quum nobis propositum esset, de legionis Romanae ratione, si quid haberemus, hac opportunitate data promere atque proponere,

---

1) Polybius VI, 25, 10.

2) Polyb. VI, 25, 8: *διόπερ ἀδοκίμου τῆς χρείας οὔσης (τοῦ τῶν ἱππέων καθοπλισμοῦ), ταχέως μετέλαβον τὴν ἑλληνικὴν κατασκευὴν τῶν ὅπλων.*

3) Niebuhr Roem. Gesch. III. p. 591.

quum cuncta simul, quae de ea re, si quis totam absolvere vellet, dicenda erant, complecti hujusmodi libelli rationes vetarent, statim vidimus, in scribendi exordio accuratius nobis definiendum, cujusnam aetatis legionem intelligi vellemus, antiquissimam nimirum, phalangibus Macedonicis similem, atque eam, quae belli Latini temporibus fuit. Nam quae postea etiam in militia Romani mutaverunt, tam multa sunt atque varia, ut satius videatur, horum quidem investigationem alii tempori seponere.

Antiquissimam aciei Romanae formam phalangem fuisse Livius auctor est [4]), cui in ea re fides eo minus negari posse videtur, quod eo loco testatus est, quo de militia Romana accuratissime et, uti videbimus, verissime scripsit. Accedit analogia militiae Graecae, cui magna in plerisque partibus cum Romana similitudo intercedit. Sed gravissimum, ni Livii auctoritas sufficeret, argumentum in armis foret, quae Servius classibus suis imperavit. In prima omnes corporis partes pariter tectas esse voluit; alteri pectoris tegumentum, tertiae etiam ocreas ademit [5]). Qua in re qui nihil nisi diversam hominum rem familiarem spectatam esse existimant, admodum vereor ne errent; sed posteriores in phalange ordines priorum ordinum corporibus proteguntur, ut istis ex aere tegumentis facile carere possint. Quod aliter fuit in ea aciei forma, quae postea in usu erat, in qua quum omnia pariter militum genera in obtinendo primo proelii loco sibi invicem succederent, omnia pariter tegenda erant. Quod factum esse ex Polybio discimus, qui in descriptione militiae Romanae, qualis sub belli Punici secundi tempora fuerit, ubi in Hastatorum armis scutum et gladium enumeravit, sic pergit: *πρὸς δὲ τούτοις ὑσσοὶ δύο, καὶ περικεφαλαία χαλκῆ, καὶ προκνημίς* [6]), et paullo post [7]): *οἱ μὲν οὖν πολλοὶ προσλαβόντες χάλκωμα σπιθαμιαῖον πάντῃ πάντως, ὃ προστίθενται μὲν πρὸ τῶν ϛέρνων, καλοῦσι δὲ καρδιοφύλακα, τελείαν ἔχουσι τὴν καθόπλισιν. Οἱ δὲ ὑπὲρ τὰς μυρίας τιμώμενοι δραχμάς, ἀντὶ τοῦ καρδιοφύλακος σὺν τοῖς ἄλλοις ἁλυσιδωτοὺς περιτίθενται θώρακας. Ὁ δ' αὐτὸς τρόπος τῆς καθοπλίσεώς ἐϛι καὶ περὶ τοὺς Πρίγκιπας καὶ Τριαρίους, πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν οἱ Τριάριοι δόρατα φοροῦσιν.*

Videmus, illa quidem aetate omnium militum praeter equites et velites eadem corporis tegumenta fuisse; quod si ad eam quoque legionem retulerim, de qua Livius in descriptione pugnae ad Vesuvium sive Veserim commissae egit [8]), quaeque per manipulos jam instructa erat, nescio an recte fecerim. Huc certe Livii verba ducere videri possunt: c l y p e i s a n t e a R o m a n i u s i s u n t : d e i n d e, p o s t q u a m s t i p e n d i a r i i f a c t i s u n t, s c u t a p r o c l y p e i s f e c e r e, — prin-

---

4) Livius VIII, 8: et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse.

5) Liv. I, 43.

6) Polyb. VI, 23, 8.

7) Polyb. VI, 23, 14—16.

8) Liv. VIII, 8.

cipibus nimirum, primae classis Servianae militibus, nam alteri et tertiae classi jam Servius scuta dederat, — et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse. Quibus verbis quum phalangis in legionem manipulatim structam transitus et clypeorum in scuta mutatio arcte conjungantur, haud improbabilis conjectura est, quo tempore universa aciei forma immutata sit, etiam arma, quae corpus tegerent, ut res jam et par omnibus periculum poscebat, mutata et eadem omnibus communicata esse, praecipue quum post stipendium institutum etiam pauperiores facilius ocreas sibi atque loricam comparare possent. Sed utut ea res est, ad quam etiam infra redeundum erit, hoc certum videtur, Servium in imperandis diversis diversarum classium armis, quae corporibus tegumento essent, non legionem, qualis postea fuit, sed phalangem spectasse.

Sed hoc fere unum est, quod de antiquissima ista legionis Romanae forma affirmare licet, phalangem fuisse: qualis fuerit, conjectura magis assequimur, quam testimoniis scriptorum docemur, ut par est in re, quae ad tam remota tempora pertinet.

Quae arma phalangitae gesserint, ex iis colligimus, quae Servius instituit, vel potius retinuit et novae suae civium per classes distributioni aptavit. Nam quum phalangem non novam instituerit, sed veterem in ea morem servarit, haud dubium est, quin idem in armis fecerit.

Tres primae classes ex Servii instituto iisdem ad petendum hostem armis utebantur, hasta et gladio [9]), sive is jam tum Hispanicus ille fuit, quo postea Romani usi, cujus descriptionem apud Polybium habemus [10]), sive potius brevis aliquis culter vel pugio, qualem seriore aevo pedes Romanus etiam praeter gladium Hispaniensem gerebat [11]). Sed merum cultrum fuisse veri similius est, cum propter analogiam phalangitae Graeci, tum maxime propter Suidae testimonium, qui Romanos gladium Hispanicum Hannibalis demum aetate assumpsisse docet [12]). Hasta phalangitae

9) Liv. I, 43: arma his (primae classi) imperata, galea, clypeum, ocreae, lorica, omnia ex aere; haec ut tegumenta corporis essent; tela in hostem, hastaque et gladius. — Secunda classis — — arma imperata scutum pro clypeo, et praeter loricam omnia eadem. Tertiae classis — — nec de armis quidquam mutatum; ocreae tantum ademptae. — Ita vulgo legitur, falso haud dubie, et emendandum: tela in hostem, hasta et gladius, ut hasta et gladius non distinguantur a teliis ut tertio aliquo armorum genere, sed comprehendantur potius hac una voce. Hoc ita esse, perspicuum est ex re ipsa, quod neque distincte, ut solet, locutus esset Livius, quum multa sint telorum genera, et si quis veruta intelligere velit, vix excogitari queat, ea quid phalangitis profuerint. Accedit aequalitas orationis, ne desit, quod verbis antecedentibus haec ut tegumenta corporis essent respondeat, et Dionysii auctoritas, qui cum Livio accurate consentit, si correxeris, ut supra diximus. Cf. Dionys. Halic. IV, 16.

10) Polyb. VI, 23: *ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιρα· ταύτην δὲ περὶ τὸν δεξιὸν φέρει μηρόν, καλοῦσι δ' αὐτὴν Ἰβηρικήν· ἔχει δ' αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸν ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι.*

11) Lipsius de mil. Rom. lib. III. dial. 3.

12) Suidas s. v. *μάχαιρα: οἱ δὲ Κελτίβηρες τῇ κατασκευῇ τῶν μαχαιρῶν πολὺ διαφέρουσι τῶν ἄλλων· καὶ γὰρ κέντημα πρακτικὸν καὶ καταφορὰν ἔχει, δυναμένην ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν· ᾗ καὶ Ῥωμαῖοι τὰς πατρίους ἀποθέμενοι μαχαίρας ἐκ τῶν κατ' Ἀννίβαν μετέλαβον τὰς τῶν Ἰβήρων.*

Romani quanta fuerit, nihil est unde conjicere liceat. Macedonum sarissas unius et viginti pedum fuisse satis constat [13]), sed tanta certe hastarum non fuit longitudo.

Ad tegendum corpus, ut supra attigimus, diversarum classium, unde phalanx composita erat, arma diversa erant, prouti res et minus eorum, qui posteriores ordines obtinebant, periculum postulabat. Primae classi galea, clypeum, ocreae, lorica data, omnia ex aere, quo antiqua Italia abundabat [14]), secundae scutum, galea, ocreae, tertiae scutum et galea.

Galeae Romanae formam accurate descripsit Lipsius: in parte adversa apertam, cum ferri aliqua eminentia, sed repandi; ad latus utrumque bucculae, quae buccas tegebant lorisque sub mentum junctae erant [15]). Crista quoque addita, Polybii certe aetate, quae viri speciem augeret, et hosti terrorem incuteret [16]).

Clypeus sive clypeum semper, uti videtur, ex aere fuit [17]), forma rotunda [18]), unde ob speciei similitudinem etiam Argolicus dictus [19]), modica magnitudine [20]), quibus rebus omnibus a scuto differt. Id enim ex duplici tabularum glutine taurino conglutinatarum ordine compositum erat, addito in superficie linteo, atque super id vituli corio. Latitudo scuti paullulum incurva duorum pedum semis, longitudo quatuor pedum, interdum quatuor pedum et spithamae erat, et ne gladiorum ictus aut ad solum applicatio facile laederet, superiorem et inferiorem partem margo ferreus ambibat, addito etiam ad majorem firmitatem in medio scuto umbone ferreo. Sic certe Polybius descripsit [21]), quae descriptio quin etiam ad remotiora illa tempora quadret, vix dubium est, nisi quod haud incredibile est, quod Plutarchus tradit, marginem istum ferreum a Camillo demum contra ingentes Gallorum gladios additum esse [22]). Forma scutorum duplex erat, unum genus quadrangulum, aequali ubique latitudine, januae incurvae simile, unde Graecum nomen

---

13) Polyb. XVIII, 12, 2.

14) Nieb. I. p. 479 (Vierte Aufl.).

15) Lipsius de mil. Rom. lib. III. dial. 5.

16) Polyb. VI, 23. cf. Lips. l. l.

17) Quo differt a parma, ex corio vel ligno, quod corio inducebatur, facta (cf. Lips. de mil. Rom. lib. III. dial. I. p. 157.), quum formâ conveniret. Polyb. VI, 22.

18) Virg. Aen. 2, 227: Sub pedibusque deae clypeique sub orbe teguntur.

19) Dionys. IV, 16: ἀσπίδας Ἀργολικάς. Virg. Aen. 3, 637: Argolici clypei aut Phoeboeae lampadis instar.

20) Liv. IX, 19: arma clypeus sarissaeque Macedonibus, Romano scutum, majus corpori tegumentum.

21) Polyb. VI, 23: Ἔςι δ' ἡ Ῥωμαϊκὴ πανοπλία πρῶτον μὲν θυρεός, οὗ τὸ μὲν πλάτος ἐςὶ τῆς κυρτῆς ἐπιφανείας πένθ' ἡμιποδίων· τὸ δὲ μῆκος ποδῶν τεττάρων· ὁ δὲ μείζων ἔτι καὶ παλαιςιαῖος· ἐκ διπλοῦ σανιδώματος ταυροκόλλῃ πεπηγώς, ὀθονίῳ, μετὰ δὲ ταῦτα μοσχείῳ δέρματι περιείληπται τὴν ἐκτὸς ἐπιφάνειαν· ἔχει δὲ περὶ τὴν ἴτυν ἐκ τῶν ἄνωθεν καὶ κάτωθεν μερῶν σιδηροῦν σιάλωμα, δι' οὗ τάς τε καταφορὰς τῶν μαχαιρῶν ἀσφαλίζεται καὶ τὰς πρὸς τὴν γῆν ἐξερείσεις. Προσήρμοςαι δ' αὐτῷ καὶ σιδηροῦ κόγχος, ὃ τὰς ὁλοσχερεῖς ἀποςέγει πληγὰς λίθων καὶ σαρισσῶν καὶ καθόλου βιαίων βελῶν.

22) Plutarch. Camill. 40: τοῖς δὲ θυρεοῖς κύκλῳ περιήρμοσε λεπίδα χαλκῆν, τοῦ ξύλου καθ' αὐτὸ τὰς πληγὰς μὴ ςέγοντος.

θυρεός, alterum sine angulis, latitudine inaequali, extremis supra et infra partibus angustioribus [23]).

O c r e a e lamine erant aereae aut ferreae, quae anteriorem cruris partem tegebant, in posteriore parte ligatae. Has phalangitae Romani binas gestasse videntur, quum et Livius et Dionysius in recensendis armis a Servio imperatis o c r e a s enumerent numero plurali. Sed postea quum omnibus militibus legionariis hoc tegumentum communicaretur, ditiorumque proprium esse desineret, satis visum est, si unum crus sic defensum esset, idque dextrum, ut quod, si cominus pugnaretur, ante sinistrum collocaretur. Id certe Vegetius docet [24]), ut dubitari nequeat, quin Imperatorum quidem aetate ita institutum fuerit; sed nescio an etiam Polybius nonnisi singulas ocreas noverit, quum in enumerandis legionariorum armis *προκνημίς* dicat numero singulari.

Loricarum duo genera Romanis saeculi Urbis sexti iuitio in usu fuere, alterum simplex lamina aerea, unius in longitudinem et latitudinem spithamae, quo pectus tantummodo tectum erat, tergo nudo; alterum hamatum, pectus simul et tergum defendens, qualia ditissimis gestare imperatum erat [25]). Sed illis potius quam hisce priscorum istorum phalangitarum loricas similes fuisse, haud facile quisquam negarit.

His armis tres primae classes Servii instructae erant, quae solae in phalange stipendia fecisse videntur. Quae reliquae sunt quartam et quintam phalangitarum honore expertes fuisse, arma ipsa demonstrant, quamquam in his quidem Livius atque Dionysius differunt. Nam Livius classi quartae nihil praeter hastam et verutum datum esse uarrat, quintae fundas lapidesque missiles [26]), Dionysius contra quartae scutum et gladium et hastam, quintae veruta et fundas tribuit, et quartam ultimum in phalange locum obtinuisse facit [27]). Sed verius esse videtur, quod Livius dedit. Is enim ubi in describenda pugna ad Vesuvium commissa de legione Romana agit, quae tum temporis nondum desierat in classibus Servianis niti, rorarios memorat, quintae haud dubie classis, uti tota res demonstrat. Id nomen Varro a rorando derivat, quod rorarii proelium committant

---

23) Lips. de mil. Rom. lib. III. dial. 2. p. 164.

24) Vegetius de militia 1, 20: Pedites autem scutati, praeter cataphractas et galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere. Et p a u l l o p o s t: Sciendum praeterea, cum missilibus agitur, sinistros pedes inante milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est. Sed cum ad pila (ut appellant) venitur et manu ad manum pugnatur, tunc dextros pedes inante milites habere debent, ut et latera eorum subducantur ab hostibus, ne possint vulnus accipere, et proximior dextra sit, quae plagam possit inferre. — Contrarius Samnitum mos erat, quos in sinistro tantum crure ocream gestasse Livius IX, 40 testis est, unde colligitur, hos quidem sinistrum pedem in pugna ante dextrum posuisse.

25) Polyb. VI, 23, 14 sq.

26) Liv. I, 43.

27) Dionysius Halic. IV, 17: *ὅπλα δὲ φέρειν ἔταξεν αὐτοὺς* (quartam classem) *θυρεούς τε καὶ ξίφη καὶ δόρατα, καὶ τάξιν ἔχειν ἐν τοῖς ἀγῶσι τὴν ἐσχάτην. Τὴν δὲ πέμπτην μοῖραν — ἔταξε σαυνία καὶ σφενδόνας ἔχοντας ἔξω τάξεως στρατεύεσθαι.*

ante ceteros milites, uti ante roret quam pluat [28]); quae cum rore comparatio certe in lapides missiles potius quam in jacula quadrat. Eodem loco hastatorum levium mentionem facit, qui hastam tantum gaesaque gererent, quos ad nullam nisi quartam classem referre licet. Quod si ita est, id quoque cadit, quod Dionysius quartam classem ultimum in phalange locum obtinuisse refert, quo loco gaesa, i. e. jacula, prorsus inutilia fuissent. Unde apparet, tres tantum classes ad phalangem pertinuisse, quartam et quintam extra eam stetisse.

Quo illae ordine in phalange collocatae fuerint, Dionysius exhibet, qui ad Homerici fere proelii similitudinem primam classem totius phalangis *προμάλους* facit, tres, quae deinde sequuntur, eodem quo numerantur ordine in acie ipsa instruit, ultimam extra aciem collocat [29]). Quae si ita intelligenda sunt, uti verba indicare videntur, primam classem revera ante reliquam aciem, ut heroes in Iliade, propugnasse, haud dubie erravit; nam quum modo ostenderimus, quartam classem a numero phalangitarum sejungendam esse, secunda vero et tertia, si conjunxeris, haud plures quam prima una milites dederit, quadragenas nimirum centurias [30]), non credibile est, tot extra aciem propugnatores, quot in acie milites fuisse, sed finxit hoc Dionysius, ut hic quoque institutorum Romanorum cum Graecis similitudinem ostenderet. Veriora Niebuhrius vidit [31]). Is primam classem una cum altera et tertia phalangem composuisse, et primum in acie locum obtinuisse statuit; nec dubium est, quin principum nomen, quod postea in legione Romana ei militum generi solemne est, quod post hastatos pugnam subire consueverat, ad primam classem pertinuerit, quod haec olim omnium prima pugnam capessere solita sit [32]). Eam quum quadraginta centuriis stipendia fecisse dixerimus, totidemque alteram et tertiam conjunctas, si quis militum in quaque centuria numerum eruat, jam definire licebit, quot in tota legione homines fuerint. Sed numerus iste non constabat. Nam singulae tribus plebejae ad quamque centuriam singulos milites mittebant [33]), ut horum numerus cum tribuum multitudine variaret. Has Servius Tullius triginta insti-

---

28) Varro de L. L. lib. VII, 58 (ed. O. Muetter): rorarii dicti ab rore, qui bellum committebant ante, ideo quod ante rorat quam pluit. Cf. Paul. Diacon. excerpta ex lib. Pomp. Festi s. v. rorarii (ed. Lindemann in Corpore Grammat. Lat. p. 134): rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi proelium committebant, quod, ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi ante gravem armaturam quod prodibant, rorarii dicti. — Vid. etiam Paul. Diac. Exc. s. v. adscripticii (ed. Lindem. p. 13.) et Nieb. R. G. III. p. 117.

29) Dionys. Halic. IV, 16 et 17.

30) Quum in legione manipulatim structa, qualis initio saeculi quinti fuit, eaque etiam tum secundum classes Servianas composita, ex prima classe quadraginta centuriae stipendia fecerint, tot, quot in ea juniorum centuriae erant, ex secunda autem atque tertia vicenae (vid. infra), duplex numerus earum, quas juniorum habebat, credibile est, idem in legionem phalangi similem cadere.

31) Nieb. I. p. 499 sq.

32) Varro de L. L. V, 89: principes dicti, qui a principio gladiis pugnabant. Cf. Nieb. III. p. 117.

33) Nieb. I. p. 492 sq. cum not. 1079 et 1093.

tuerat [34]), ut tum temporis centuria ex triginta, universa legio ex duobus millibus quadringentis hominibus constaret. Sed Porsenna victis Romanis pro jure gentium Italicarum tertiam agrorum partem ademit, tribusque ad viginti redegit [35]), ut jam una centuria viginti homines, tota legio mille sexcenti essent. Is numerus primum auctus a. U. 259, Crustumina addita [36]), dein paullatim crevit ad quinque et triginta tribus, quot etiam Imperatorum aetate manserunt. — Sed sumamus triginta tribus, quot Servius instituit, et triginta in singulis militum centuriis homines, ut certi aliquid habeamus, unde in accuratius describenda phalange exire possimus: quaeritur porro, ex quot membris phalanx composita fuerit. Id vero ne conjectura quidem cum aliqua veritatis specie divinari potest, quum vel quid posteriore aetate in ea re usitatum fuerit prorsus ignoremus. Niebuhrius decem, Lipsius duodecim membris instructos fuisse statuit [37]), uterque sine certo argumento, et probabile est, multum in ea re pro tempore et necessitate variatum esse. Sed utut id fuit, numerum membrorum semper parem fuisse credibile est, ut tot ordinibus prima classis instructa esset, quot altera et tertia conjunctae, ne, si membra imparia essent, primae et secundae milites in eodem membro juncti essent. Macedones sedecim membris in acie stetisse constat; sed novum id et a Philippo inventum erat ad majorem impetus vim, neque ad Romanam consuetudinem transferendum.

Quum quot phalangis membra fuerint nesciamus, quamquam totius legionis numerum tenemus, tamen neque quot in fronte milites fuerint definire licet, quod ad repraesentandam totius aciei formam necessarium foret. Si cum Lipsio duodecim a fronte introrsus ordinibus patuisse sumimus, ducentos armatos in fronte fuisse sequitur, sin decem cum Niebuhrio membra statuimus, frons ducentos quadraginta milites habebat.

Superest ad accuratiorem totius aciei effigiem animo concipiendam, quatenus ex incertis quae in medio reliquimus concipi potest, ut quo singuli milites spatio inter se disjuncti fuerint quaeramus. In ea re de posterioris aevi legione duplex habemus testimonium, Polybii atque Vegetii [38]), sed utrumque ad phalangem non quadrans, propter nimium, quod singulis militibus datur, spatium. In phalange enim pugnae ratio postulat, ut singuli armati et a latere et a tergo quam arctissime inter se conjuncti stent, quo plures in fronte hastae adversario objiciantur, et ne hostibus ob nimia intervalla opportunitas detur, in ordines se insinuandi. Itaque laudabile erat Macedonum in instruenda acie institutum, qui singulis phalangitis trium pedum quadratorum spatium, in quo cum armis consisterent, concesserunt, intervalla a latere atque tergo nulla, sed

34) Nieb. I. p. 434 sq. et maxime not. 973 et 974.

35) Nieb. I. p. 436 sq.

36) Liv. II, 21. cf. Nieb. I. p. 587.

37) Nieb. I. p. 499. Lipsius de mil. Rom. lib. IV, dial. 8. p. 284.

38) Vide infra.

ut milites inter se contingerent [39]). Quod si quis conjiciat idem in eadem re apud Romanos institutum fuisse, haud magnum errandi periculum fuerit.

Haec erant, quae de ipsa phalange Romana dicenda videbantur. Pergimus ad levem armaturam, quae eam sequebatur, et ad equitatum. Levis armatura ad quartam et quintam Servii classem pertinuerit necesse est, quarum haec in ea legione, quam postea accuratius describemus, triginta centuriis rorariorum, illa decem hastatorum levium stipendia faciebat, quarta veruto et hasta, quinta fundis instructa. Quem centuriarum numerum si cum iis componis, quae phalangem ipsam efficiebant, levem armaturam tertiam legionis partem fuisse intelligitur, quae ratio etiam apud Graecos in gravi et levi armatura servari solebat, nec dubium est, quin in antiquissima phalange Romana eadem fuerit. Quid quartae et quintae classis militibus in pugna ipsa negotii fuerit, ex armis, quae gestabant, colligitur, ut hostes laecesserent proeliique initium facerent; unde sequitur, quem in acie locum habuerint, nimirum ab initio primum, deinde, ubi res ad phalangitas rediit, ultimum.

Equitum in phalangitarum legione numerum verisimile est eundem fuisse, quem postea semper in legionibus Romanis videmus; nam trecenti jam in Romuli rebus equites memorantur, totidemque mox post reges expulsos [40]). Arma fuere hasta gracilis fragilisque, ob id ipsum ad pugnam parum apta, quod neque ad certum aliquem locum accurate dirigi poterat, et facile frangebatur, atque scutum ex corio factum, quod neque ad pugnam satis firmum erat, neque imbribus

39) Adscribam totum Polybii locum de phalangis Macedonicae instruendae ratione, quod is ad repraesentandam Romanae aciei imaginem multum facit. Polyb. XVIII, 12, 2: *ἐπεὶ γὰρ ὁ μὲν ἀνὴρ ἵςαται σὺν τοῖς ὅπλοις ἐν τρισὶ ποσὶ κατὰ τὰς ἐναγωνίους πυκνώσεις, τὸ δὲ τῶν σαρισσῶν μέγεθός ἐςι κατὰ μὲν τὴν ἐξ ἀρχῆς ὑπόθεσιν ἑκκαίδεκα πηχῶν, κατὰ δὲ τὴν ἁρμογὴν τὴν πρὸς τὴν ἀλήθειαν δεκατεσσάρων· τούτων δὲ τοὺς τέσσαρας ἀφαιρεῖ τὸ μεταξὺ ταῖν χεροῖν διάςημα καὶ τὸ κατόπιν σήκωμα τῆς προβολῆς· φανερὸν ὅτι τοὺς δέκα πήχεις προπίπτειν ἀνάγκη τὴν σαρίσσαν πρὸ τῶν σωμάτων ἑκάςου τῶν ὁπλιτῶν, ὅταν ἴῃ δι' ἀμφοῖν ταῖν χεροῖν προβαλλόμενος ἐπὶ τοὺς πολεμίους. Ἐκ δὲ τούτου συμβαίνει, τὰς μὲν τοῦ δευτέρου καὶ τρίτου καὶ τετάρτου πλεῖον, τὰς δὲ τοῦ πέμπτου ζυγοῦ σαρίσσας δύο προπίπτειν πήχεις πρὸ τῶν πρωτοςατῶν, ἐχούσης τῆς φάλαγγος τὴν αὑτῆς ἰδιότητα καὶ πύκνωσιν κατ' ἐπιςάτην καὶ κατὰ παραςάτην, ὡς Ὅμηρος ὑποδείκνυσιν ἐν τούτοις·*

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ·
Ψαῦον δ' ἱππόκομοι κόρυθες λαμπροῖσι φάλοισι
Νευόντων· ὡς πυκνοὶ ἐφέςασαν ἀλλήλοισιν.

Τούτων δ' ἀληθινῶς καὶ καλῶς λεγομένων δῆλον, ὡς ἀνάγκη, καθ' ἕκαςον τῶν πρωτοςατῶν σαρίσσας προπίπτειν πέντε, δυσὶ πήχεσι διαφερούσας ἀλλήλων κατὰ μῆκος. Ἐκ δὲ τούτου ῥάδιον, ὑπὸ τὴν ὄψιν λαβεῖν τὴν τῆς ὅλης φάλαγγος ἔφοδον καὶ προβολήν, ποίαν τινα εἰκὸς εἶναι καὶ τινα δύναμιν ἔχειν, ἐφ' ἑκκαίδεκα τὸ βάθος οὖσαν· ὧν ὅσοι πέμπτον ζυγὸν ὑπεραίρουσι, ταῖς μὲν σαρίσσαις οὐδὲν οἷοί τ' εἰσὶ συμβαλέσθαι πρὸς τὸν κίνδυνον· διόπερ οὐδὲ ποιοῦνται κατ' ἄνδρα τὴν προβολήν· παρὰ δὲ τοὺς ὤμους τῶν προηγουμένων ἀνανενευκυίας φέρουσι, χάριν τοῦ τὸν κατὰ κορυφὴν τόπον ἀσφαλίζειν τῆς ἐκτάξεως, εἰργουσῶν τῇ πυκνώσει τῶν σαρισσῶν ὅσα τῶν βελῶν ὑπερπετῆ τῶν πρωτοςατῶν φερόμενα δύναται προσπίπτειν πρὸς τοὺς ἐφεςῶτας. Αὐτῷ γε μὴν τῷ τοῦ σώματος βάρει κατὰ τὴν ἐπαγωγὴν πιέζοντες οὗτοι τοὺς προηγουμένους, βιαίαν μὲν ποιοῦσι τὴν ἔφοδον, ἀδύνατον δὲ τοῖς πρωτοςάταις τὴν εἰς τοὔπισθεν μεταβολήν.

40) Dionys. Halic. II, 13. Liv. I, 15. Lipsius de mil. Rom. lib. II. dial. 6.

bus resistebat. Sic Polybius equites Romanos antiquitus armatos fuisse testatur, nec loricas quidem gestasse, sed succinctos pugnasse. Sed statim addit, incommoda inde orianda mox perspexisse, et arma assumpsisse Graecis similia, qualia post gesserint [41]). Graecorum equites praeter hastam, loricam scutumque galea quoque et gladio instructi erant, et gladius atque galea ex Polybii quidem loco a Graecis demum ad Romanos transisse videri possit; sed haud dubium est, quin haec armorum genera jam antiquitus Romanis quoque equitibus in usu fuerint. Nam verum esse videtur, quod Lipsius Appiani loco nisus conjecit [42]), equitum arma iis demum temporibus mutata esse, quibus Romani in Graecia ipsa bella gesserint [43]); gladius autem et galea inter equitum arma longe ante memorantur. De gladio sexcenti apud scriptores loci sunt, de galea unum memorabo ex Livio, ubi M. Valerii Corvi cum Gallo pugnam singularem narrat, in aqua corvus in M. Valerii galea consedit [44]).

Habemus igitur arma, quae equites in phalangitarum legione gestasse probabile est. His instructi quo loco in acie ipsa constiterint, facile conjicitur: **in fronte**, si iis aut solis aut cum levi armatura proelii initium faciendum esset, quo facto aut ad latera aut post tergum peditum redierint necesse est; **ad latera phalangis**, si opera eorum ad subveniendum pressis peditibus servaretur.

Superest, ut de eo militum genere pauca addamus, quos Romani **accensos** vocarunt, qui apud Livium in descriptione proelii ad Vesuvium commissi quindecim vexilla sunt. Ii inermes exercitum sequebantur, nec nisi lapides portabant; sed si quis ex armatis cecidisset, in ejus locum succedebant, et mortui arma accipiebant [45]). Iidem **adscriptivi** quoque sive **adscriptitii** et

---

41) Polyb. VI, 25: *ὁ δὲ καθοπλισμὸς τῶν ἱππέων νῦν ἐστι παραπλήσιος τῷ τῶν Ἑλλήνων· τὸ δὲ παλαιὸν πρῶτον μὲν θώρακας οὐκ εἶχον, ἀλλ' ἐν περιζώμασιν ἐκινδύνευον· ἐξ οὗ πρὸς μὲν τὸ καταβαίνειν καὶ ταχέως ἀναπηδᾷν ἐπὶ τοὺς ἵππους ἑτοίμως διέκειντο καὶ πρακτικῶς· πρὸς δὲ τὰς συμπλοκὰς ἐπισφαλῶς εἶχον, διὰ τὸ γυμνοὶ κινδυνεύειν. Τὰ δὲ δόρατα κατὰ δύο τρόπους ἄπρακτα ἦν αὐτοῖς· καθ' ἕνα μέν, ᾗ λεπτὰ καὶ κλαδαρὰ ποιοῦντες οὔτε τοῦ προτεθέντος ἠδύναντο σκοποῦ στοχάζεσθαι, καὶ πρὸ τοῦ γε τὴν ἐπιδορατίδα πρός τι προσερεῖσαι κραδαινόμενα δι' αὐτῆς τῆς τῶν ἵππων κινήσεως τὰ πλεῖστα συνετρίβετο. Πρὸς δὲ τούτοις, ἄνευ σαυρωτήρων κατασκευάζοντες, μιᾷ τῇ πρώτῃ διὰ τῆς ἐπιδορατίδος ἐχρῶντο πληγῇ, μετὰ δὲ ταῦτα κλασθέντων, λοιπὸν ἦν ἄπρακτα αὐτοῖς καὶ μάταια. Τόν γε μὴν θυρεὸν εἶχον ἐκ βοείου δέρματος, τοῖς ὀμφαλωτοῖς ποπάνοις παραπλήσιον, τοῖς ἐπὶ τὰς θυσίας ἐπιτιθεμένοις· οἷς οὔτε πρὸς τὰς ἐπιβολὰς ἦν χρῆσθαι, διὰ τὸ μὴ στάσιν ἔχειν· ὑπό τε τῶν ὄμβρων ἀποδερματούμενοι καὶ μυδῶντες δύσχρηστοι καὶ πρότερον ἦσαν, καὶ νῦν ἔτι γίγνονται παντελῶς. Διόπερ ἀδοκίμου τῆς χρείας οὔσης, ταχέως μετέλαβον τὴν Ἑλληνικὴν κατασκευὴν τῶν ὅπλων.*

42) Lips. de mil. Rom. lib. III. dial. 7. p. 226. 227.

43) Ad eandem sententiam Polybii verba faciunt, qui non Graecis similia arma assumpsisse Romanos, sed mutuatos ab iis esse (Polyb. VI, 25, 11: *ἃ συνιδόντες ἐμιμήσαντο ταχέως*) contendit, quod nescio an non dicturus fuisset, nisi nova tum memoria facti fuisset.

44) Liv. VII, 26.

45) Paul. Diacon. Excerpt. ex lib. Pomp. Festi s. v. accensi (ed. Lindem. p. 16): accensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum surrogabantur, dicti ita, quia ad censum adjiciebantur. — Varro de L. L. VII, 56:

velati et ferentarii appellati sunt [46]). Ad quemnam civium ordinem pertinuerint si quaerimus, verum haud dubie Niebuhrius vidit, qui ad nullam ex quinque Servii classibus referendos docet, sed ex iis civibus sumptos esse, qui quintae classi proximi essent, et intra duodecim millia quingentos asses usque ad mille quingentos censerentur. Hos in duas centurias divisos fuisse, accensorum et velatorum, diverso inter se censu, sed ita ut accensorum nomen etiam velatis commune esset [47]). Hae duae centuriae ad Livianam istam legionem quindecim vexilla mittebant, i. e. ut infra videbimus nongentos milites, non multo pauciores quam prima classis, quae ex octoginta centuriis constabat. Qua in re ne iniquitatem suspicemur, duae res tenendae sunt: primum, multo minus fuisse accensorum periculum quam reliquarum copiarum, nam magna illorum pars etiam in satis acri proelio pugnae expers fuerit necesse est, et iis ipsis, qui in occisorum locum subrogabantur, ultimi ordines dati sunt; deinde, in has centurias vel maxime cadere, quod Cicero de omnibus quatuor ultimarum classium centuriis dicit, in una ex iis plures censos esse, quam paene in prima classe tota [48]). Facile igitur nongentos homines ad militiam mittebant. Quos si computamus cum reliquis, quos supra recensuimus, militum generibus, hi efficiuntur numeri: In phalange ipsa duo millia quadringenti armati, mille ducenti ex prima classe, totidem ex altera et tertia. Hi omnes gravis armaturae. His additi trecenti equites et mille ducenti pedites levis armaturae, trecenti ex quarta, nongenti ex quinta classe, denique nongenti accensi, quibus id solum officii, ut in mortuorum locum subrogarentur. Universa igitur antiquissima illa legio ex quatuor millibus quingentis peditibus, trecentis equitibus constabat, ex quo secundum Servii classes conscribi coepta est. Ante id tempus non dubium est, quin acies eadem fuerit; sed militum numerum diversum fuisse apparet, quum is, quem supra dedimus, a Servii institutis necessario pendeat [49]). Hactenus de prima legione Romana, phalange. Cujus in acie commoda et incommoda nemo melius perspexit atque descripsit quam Polybius, quo loco Romanorum et Macedonum belli ge-

adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, armatis militibus qui succederent, si quis eorum deperisset. — Accensos enim et adscriptivos sive adscripticios eosdem fuisse statim videbimus.

46) Paul. Diacon. Excerpt. etc. s. v. adscripticii (ed. Lindem. p. 13): adscripticii veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et accensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti. Quidam velatos, quia vestiti inermes sequerentur exercitum. Nonnulli ferentarios, quod fundis lapidibusque proeliaturi ea modo ferrent, quae in hostes jacerent. Addit: Alii rorarios, quod id genus hominum, antequam acies coirent, in modum rorantis tempestatis dimicaret. Sed hoc aperte falsum. Cf. s. v. velati (ed. Lindem. p. 158): velati appellabantur vestiti et inermes, qui exercitum sequebantur, quique in mortuorum militum loco substituebantur. Ipsi sunt et ferentarii, qui fundis et lapidibus pugnabant, quae tela feruntur, non tenentur. Cato eos ferentarios dixit, qui tela ac potiones militibus proeliantibus ministrabant. Vide etiam Nieb. I. not. 1034.

47) Niebuhr I. p. 468 sq.

48) Cic. de rep. II, 22.

49) Varro primam legionem trium millium fuisse scribit, de L. L. V, 16, 89: milites, quod trium milium primo legio fiebat, ac singulae tribus Titiensium, Ramnium, Lucerum milia singula militum mittebant.

rendi rationes inter se comparat. Is invictum docet phalangis Macedonicae impetum, si quis locis planis atque apertis a fronte se opponere ausus sit, propter ingentem sarissarum longitudinem, quae muri ferrei instar adversario objiciantur, quum vel quinti membri hastae in fronte promineant, et incredibilem ictus vehementiam, quod qui in extremis ordinibus stent, quum pugnae ipsius expertes sint, summa vi priores protrudant. Sed facile superari phalangem, si loco iniquo et confragoso, ubi ipsius regionis natura membra distrahat, pugnare cogatur, aut aliam ob causam ordines servare prohibeatur. Tunc enim adversarios intra membra phalangis se insinuare, et phalangitarum armis jam inutilibus facile reportare victoriam. Hinc factum esse, ut Romani cum Macedonibus congressi superiores discederent, quod illorum aciei instruendae ratio ad omnia tempora locaque, horum ad unum locorum genus apta esset [50]).

Quae his verbis Polybius incommoda de Macedonum phalange memorat, ea omnia etiam in Romanorum antiquissimam legionis formam cadunt, non item commoda; nam probabile est, neque hastas Romanorum tam ingentes fuisse, nec tot in acie membra. Quid igitur mirum, quod meliora assumenda censuere, quum in re militari maxima semper populi Romani virtus fuerit? Quando id factum esse verisimile sit, infra quaeremus; nunc videamus, quomodo a phalange paullatim ad eam legionis formam transierint, quam Livius descripsit, ubi de pugna ad Vesuvium commissa exponit. Primum fuit, quod mutaverunt, ut continuam phalangis frontem manipulatim struerent, i. e. in plura agmina sejungerent, quae, quum nihil praeterea mutatum esset, tot minoribus phalangibus similia erant. Qua re acies haud dubie agilior facta est, atque id in ea evitatum, quod Polybius in phalange reprehendit, ne in magna planitie tantum ejus usus esset. Simul hoc effectum, ut non omnes simul legionis copiae pugnam inire cogerentur, sed aliqua ejus pars retineri posset, quae post primam aciem collocata suis, si premerentur, subsidio esset, integrisque viribus cum defessis pugnam integraret. Nam hoc Romani in re militari semper maxime studuerunt, ut haberent quos hostibus tum opponerent, quum nihil illis virium reliquum esset. Sed quaecunque mutatae hujus aciei commoda fuerunt, si cum immobili phalangis mole comparaveris, unum maximum incommodum erat, quo omnia illa inutilia reddebantur. Nam phalangis virtus in vi impetus et ictus vehementia, ejus, quae posthac apud Romanos erat, aciei praestantia in singulorum militum exercitatione et armorum arte cernitur. Jam, cum Romani phalangem manipulatim struere coepissent, periit impetus vehementia, quam cum ipsa phalangis mole aut crescere aut decrescere apparet, nec vero militum exercitatio aut armorum ars jacturam compensavit, quae in phalange locum non habent. Itaque mox ad artificiosiorem illam aciei instruendae rationem progressi sunt, qua in proelio ad Vesuvium vicisse Livius testatur. Is Livii locus ad cognoscendam rem Romanorum militarem tanti momenti est, quanti vix ullus alius, eo magis, quo rariora ex antiquitate testimonia sunt, quae illi legionis ordinandae rationi, quae tum in usu erat, lucem afferant. Nam

50) Polyb. XVIII, 12 sq.

quae Polybius accurate atque copiose de re Romanorum militari tradidit, ad seriorem aetatem et aliam legionem pertinent, quam tertiam appellare licet, quum phalanx prima, ea, quae in bello Latino fuit, secunda sit.

Hujus apud Livium descriptio accuratissima est et verissima, et quae, si recte intellexeris, totius rei clarissimam praebeat imaginem. Sed multum in eam invecti sunt recentiores, quorum audacissimas conjecturas repetere supersedebo, quum conjecturis non opus sit in eo loco, quo, si unum vel duo vocabula leviter mutaveris, nullus sanior est. Ceteris rectius Niebuhrius Livii verba intellexit, nisi quod uno cum loco errasse arguit, de qua re postea accuratius quaeremus. Nunc quid Livius exhibeat videamus, quem cur recentiores tam male intellexerint, ea causa est, quod eam legionem describi putaverunt, quam postea Polybius descripsit, quum ad longe diversam Livii verba pertineant. Id primus Niebuhrius perspexit, qui, Livii vestigia secutus, rem ut solet diligenter et ingeniose tractavit [51]).

Livius in pugna ad Vesuvium (a. U. 410) commissa, qua Romanorum in Latinos imperium recuperatum est, Romanum exercitum triplici acie instructum fuisse docet, quae una post alteram collocatae fuerint [52]). In prima acie hastati erant, in altera principes, in tertia triarii, rorarii et accensi.

---

51) Niebuhr III. p. 112 sq.

52) Liv. VIII, 8. Adscribam totum locum, uti nunc in libris exhibetur: Fuit autem civili maxime bello pugna similis; adeo nihil apud Latinos dissonum ab Romana re, praeter animos, erat. Clypeis antea Romani usi sunt: deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere, et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse. Postremo in plures ordines instruebantur. Ordo sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat. Prima acies hastati erant, manipuli quindecim, distantes inter se modicum spatium: manipulus leves vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat; leves autem, qui hastam tantum gaesaque gererent, vocabantur. Haec prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde aetas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen, hos sequebantur, scutati omnes, insignibus maxime armis. Hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur. Ex quibus ordo unus quisque tres partes habebat; earum unam quamque primum pilum vocabant. Tribus ex vexillis constabat; vexillum centum octoginta sex homines erant. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatae virtutis: secundum rorarios, minus roboris aetate factisque: tertium accensos, minimae fiduciae manum; eo et in postremam aciem rejiciebantur. Ubi bis ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant. Tum principum pugna erat, hastati sequebantur. Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innisa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, a prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad triarios redisse, quum laboratur, proverbio increbruit. Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum principes et hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias, unoque continenti agmine, jam nulla spe post relicta, in hostem incidebant. Id erat formidolosissimum hosti, quum, velut victos insecuti, novam repente aciem exsurgentem, auctam numero, cernebant. Scribebantur autem quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis. Alterum tantum ex Latino delectu adjiciebatur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodemque ordine instruxerant aciem; nec vexilla cum vexillis tantum, universi hastati cum hastatis, principes

Singulae acies ex quindecim manipulis constabant; utar enim hoc nomine etiam in tertia acie, quamquam Livius ibi haud sine caussa alio usus est; manipulus [53]) quisque ex sexaginta tribus hominibus, sexaginta militibus gregariis, centurionibus duobus, uno vexillario, compositus erat. Hac ratione si omnes, quot in una acie fuerint, milites computamus, nongenti milites gregarii, triginta centuriones, vexillarii quindecim efficiuntur. Sed ea numerorum ratio nonnisi in primam et alteram aciem cadit, non in tertiam, quae multo major fuit. In ea Livius docet quemque manipulum tres partes habuisse; vitat autem hoc loco manipuli nomen, quo in prima et altera acie usus est, ne, quum tertiae aciei singulae partes militum numero diversae sint a primae et secundae partibus, eodem nomine diversas res appellet. Ille igitur in tertia acie quindecim ordines fuisse narrat, nos et hos manipulos vocavimus, monito lectore, ne nomine decipiatur. Quodsi quis quaesiverit, utrum fuerit omnino in tertia acie trium istarum partium, quas sub ordinis nomine Livius complectitur, communis appellatio, necne, equidem in neutram partem auctor fiam, Livius certe novisse eam non videtur; at singulas partes quin vero et proprio nomine vexilla appellet, non dubium est. Sed in iis, quae Livius de tertia acie exposuit, magna difficultas est, qua vel Niebuhrius inductus est, ut in ea quidem re illum eos auctores, quos secutus legionem istam descripserit, parum intellexisse arguat. Verba vulgo sic leguntur: hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locaban-

---

cum principibus, sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebant.

Haec Livii verba sunt, quibus pauca ad explicationem addere liceat, quae alibi aptum locum non invenerint. Antiquissimam legionis Romanae formam dicit phalangem fuisse; hanc postea manipulatim strui coeptam esse, dum postremo in plures ordines instrueretur. Haec omnia perspicua essent, si quid discriminis inter ordinem et manipulum statuerit teneremus; sed in ea re aliqua difficultas. Nam ex iis quae sequuntur totiusque loci nexu apparet, plures ordines intelligendos esse plures acies, et Livium hoc sibi velle, phalangem primo a fronte in plures manipulos, deinde a latere in plures acies instructam esse; nam ubi in plures ordines instructam fuisse narravit, paullo post sic pergit: prima acies hastati erant. Haec plana et in quibus falli nequeas. Sed addit, ordinem sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium unum habuisse. Quid igitur? Universa acies sexaginta trium hominum fuit? Fuerit, dummodo sic omnia congruant. At statim sibi ipse repugnat. Nam primam aciem quindecim manipulorum fuisse, manipulum leves vicenes milites, aliam turbam scutatorum habuisse refert. Nonne haec iis, quae praecedunt, aperte contraria! Si in una acie praeter scutatos trecenti leves erant, quomodo cum scutatis ex sexaginta tribus hominibus constare poterat? Nimirum difficultas in duplici, qui hoc loco est, vocabuli ordo usu vertitur. Significat enim nunc singulas in legione acies (Bataillone), nunc minores illas cujusque aciei partes, quae proprie nomine manipuli vocantur; nam has quoque ea voce significari, ex his maxime verbis perspicuum est: hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur. Ubi quidni alii quindecim manipuli dixerit, mox videbimus.

53) Nota est derivatio nominis manipulus, quod Romulus primis suis militibus manipulos foeni in perticis fixos pro signis dederit. Ovid. Fast. III, 117:

Pertica suspensos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

tur. Ex quibus ordo unus quisque tres partes habebat; earum unam quamque primum pilum vocabant. Tribus ex vexillis constabat; vexillum centum octoginta sex homines erant.

Secundum haec verba tertia acies quindecim ordines habebat sive manipulos, ut prima et altera, et tres in quoque ordine partes, ex quibus una quaeque primus pilus appellatus fuerit. Ad explicanda reliqua quaeritur, quid in verbis tribus ex vexillis constabat subjectum sit; potest enim ex antecedentibus aut ordo unus quisque, aut una quaeque earum partium suppleri, hoc sensu, ut aut una quaeque ex tribus cujusque ordinis partibus denuo in tria vexilla divisa fuerit, totus ordo in novem, aut illae partes ipsae vexillorum nomen gesserint. Ea quam priori loco dedimus explicatio ex linguae legibus et sermonis natura simplicior videtur, sed alteram veriorem esse ostendemus. Quam verborum ambiguitatem Livio vitio dandam esse fatendum est.

Vexillum quodque, si iis quae nunc apud Livium legimus fides est, centum octoginta sex homines habebat, i. e. centum octoginta milites gregarios, sex centuriones, vel centuriones et vexillarios. Quodsi tria in quoque ordine vexilla statuimus, singuli ordines quingentos quinquaginta octo homines habuerint, universa tertia acies octo millia trecentos septuaginta; sin novem cujusque ordinis vexilla fuisse malumus, mille sexcenti septuaginta quatuor in singulis ordinibus, viginti quinque millia decem et centum in tertia acie milites efficiuntur. Utrumlibet sume, ingentes numeri existunt, cum iis, quos in prima et secunda acie vidimus, parum convenientes. Qui si veri essent, eximie demonstrarent veritatem ejus, quod Livius narrat, formidolosissimum hostibus triariorum impetum fuisse. Nam si contra eos, qui hastatos aut principes, nongenos homines, aegre vicerant, ter vel etiam novies aucta hostium multitudo subito surgeret, integri contra defessos, quomodo sustineri poterant! Sed Livius ipse eodem capite falsos esse illos numeros demonstravit. Refert enim, tum temporis quatuor fere legiones quinis millibus peditum scriptas esse. Quodsi universa legio quinque millium erat, quomodo in una ex tribus ejus aciebus aut octo, aut viginti quatuor millia esse poterant? Quare Niebuhrius, cum qua ratione haec inter se componi possent non perspiceret, Livium in hac tertiae aciei descriptione prorsus falsum fuisse existimavit, nec intellexisse, quae de ea re antiquiores scriptores, quos ipse secutus esset, retulissent. At in toto Livii opere vix quidquam reperitur, quod verius sit, quam quae hoc loco legimus, dummodo in una voce librariorum haud dubie, non Livii, errorem tollamus. Nimirum omnia plana sunt, uno verbo vexillum deleto, quo facto reliqua sic leguntur: tribus ex vexillis constabat; centum octoginta sex homines erant. Quodsi jam, ut supra monuimus, ad constabat et erant unus quisque ordo pro subjecto suppletur, is sensus nascitur, qui unice verus et aptus est: in tertia acie quindecim ordines fuisse; eorum unumquemque tres partes sive vexilla, et centum octoginta sex milites habuisse. Qui milites si in singula vexilla pariter distribuuntur, sexaginta duo homines in quoque vexillo fuerunt, ut appareat, tertiae aciei vexilla accurate respondere primae et secundae manipulis; nam ne id quidem, quod manipuli sexaginta tres, vexilla sexaginta duo milites habuerint, verum discrimen fuisse statim videbimus.

Sic non dubium est, quin genuinam lectionem, quam librarius aliquis corruperat, qui totius sententiae nexum pessime perspiciebat, Livio restituerimus; quamquam vel sic paullo obscurius eum scripsisse facile fatebimur. Sed est et aliquid aliud in eo loco, quod jure offendere possit, quod quodque in tertia acie vexillum primum pilum appellatum esse refert, in qua re nemo est qui non statim videat errorem esse. At hunc tollendi postea locus erit; nunc ad vexilla et qui in singulis armati fuerunt redeamus. Ex centum octoginta sex ordinis cujusque militibus, haud dubium est, quin centum octoginta gregarii fuerint, sexaginta in singulis vexillis, ut in manipulis reliquarum acierum vidimus. Id quaeritur, sex qui reliqui sunt quid fuerint. Simplicissimum primo adspectu videatur, singulos singulis vexillis centuriones atque vexillarios tribuere; sed probabilior videtur altera ratio, ut triarii duos centuriones et vexillarium unum, rorarii unum centurionem et unum vexillarium, accensi unum vexillarium habuerint. In re haud magni momenti quisque statuat, utut libet, sunt tamen multa, quae hanc mihi rationem commendent. Tria sunt copiarum genera, quae in acie ipsa dimicant, hastati, principes, triarii. In his singulis par manipulorum multitudo — ut hoc vocabulo etiam in triariis utar —, par gregariorum militum in manipulis numerus, quidni etiam centurionum? Diversa in rorariis et accensis res est. Rorarii pugnant quidem, sed eminus, solutis haud dubie ordinibus, quo facilius huc illuc volitent, ad hostem lacessendum. Itaque vexillo quidem, i. e. signo, quam maxime egent, ut habeant, ubi impetu dispersi colligantur, imperio minus quam in ceteris militibus accurato locus est, ut unus centurio suffecerit. Accensis equidem neque centurionem neque vexillarium concederem, nisi de vexillario cogeret Livii auctoritas, qui vexillum eos duxisse tradit. Sed quid centurione opus iis, qui nunquam juncto agmine pugnabant, et quomodo fieri poterat, ut unus ex iis, quibus ne arma quidem concederentur, ad centurionum dignitatem eveheretur? Ne tamen sine omni imperio essent, rorarios ubique secuti, horum centurioni audientes fuisse videntur. In acie quidem post illos sedebant, sed suspicor, etiam si rorarii ad committendum proelium progrederentur comitatos esse. Movet, quod lapides tulisse narrantur, unde et ferentariorum nomen acceperint; nam quid lapidibus opus iis, qui cum hoste nunquam dimicaturi erant? Festus etiam fundas eos gestasse vult. Quod si verum est, apertum, eos cum rorariis proelii initium fecisse; sin minus, et lapides tantum habebant, nullus ne horum quidem usus cogitari potest, nisi ut in pugna rorarios comitati his porrexerint. Utut est, rorariorum centurio etiam accensis sufficere poterat. — Sed mitto hanc rem, ut in qua conjecturae tantum locus sit; id certum est, centum octoginta sex in singulis tertiae aciei ordinibus milites fuisse, quomodocunque sex illos in vexilla distribuenda statueris.

Uti vero tertiae aciei vexilla primae et secundae manipulis gregariorum militum numero accurate respondent, sic non dubium est, quin singula vexilla ex duabus centuriis composita fuerint, quales in manipulis quoque videbimus.

In iis, quae ex Livio hucusque retulimus, tam accurata cernitur diligentia, omnesque rationes sic conveniunt, ut perspicuum sit, egregios illum, unde in hac parte operis sui hauriret,

fontes habuisse et accuratissime secutum esse. Quodsi minus religiosus fuisset, multo simpliciora dare poterat, quae, quum a veritate non longe abirent, iis, quibus scripsit, faciliora intellectu futura erant. Nimirum sic fere tradere poterat, legionem tum in quinque acies divisam fuisse, quarum quaeque quindecim manipulos habuerit. Ita si dixisset, nihil in tota re foret, quod cuiquam obscurum esse posset. Sed id ipsum, quod minus, uti nobis videtur, simplicia dat, quam religiose auctores suos secutus fuerit, demonstrat, ut eo major hoc loco ejus verbis fides habenda sit. Itaque non dubium, quin verum sit, quod dicit, non quinque, sed tres in legione acies fuisse, tertiam vero ex tribus partibus constitisse, triariis, rorariis, accensis, quae singulae tot milites habuerint, quot universa prima aut secunda acies. Has in manipulos divisas fuisse, tertiam aciem in vexilla, nomine a manipulis diversa, armatorum numero paria; hastatorum et principum manipulos triginta fuisse numero, triariorum, rorariorum et accensorum vexilla quadraginta quinque.

Hisce de singulis aciebus praemissis, jam facili computatione, quot in universa tum temporis legione milites fuerint, reperitur, quater mille, sexcenti octoginta. (In prima acie nongenti milites gregarii, quadraginta quinque centuriones et vexillarii, in secunda iterum nongenti milites gregarii, quadraginta quinque centuriones et vexillarii, in tertia bis mille septingenti milites gregarii, nonaginta centuriones et vexillarii.) At is numerus non accurate cum eo convenit, quem hoc ipso capite Livius dedit, qui quinum millium legiones eo tempore scribi solitas esse testatur. Sed eo minus dubium est, quin Livius vel potius is, quem secutus est, scriptor non verum numerum ipsum accurate tradere voluerit, sed qui ad veritatem certe prope accederet, quo minus stabilis, quoad ex tribubus plebejis legiones scriptae sunt, quod tum certe nondum fieri desierat [54]), militum multitudo fuerit necesse est. Nam nova tribu addita, statim etiam legio centum octoginta militibus augebatur. Quid quod Livius eandem ob caussam ne in iis quidem, quae de militum in singulis manipulis et aciebus numero tradit, accurate verum dedisse, demonstrari potest? Nam infra videbimus, quamquam Livius id omiserit, singulos manipulos tum aeque ac in posteriore legione ex duabus compositos fuisse centuriis [55]); sexageni autem, quos Livius manipulis tribuit, milites accurate efficiuntur, si triginta in quaque centuria homines erant, quot ex Servii instituto esse debebant, qui triginta tribus plebejas instituerat. At quo tempore magnum bellum Latinum exarsit, nonnisi viginti septem tribus erant [56]), unde sequitur, legionem tum cum

---

54) Niebuhr I. p. 502 c. nata.

55) Cincius Alimentus ap. A. Gellium N. A. XVI, 4: in legione sunt centuriae sexaginta, manipuli triginta, cohortes decem.

56) Ad eum numerum tribus a. U. 397. auctae fuerant, addita Pomptina et Publilia. Liv. VII, 15. Niebuhr III. p. 60. Is mansit usque ad a. U. 417, quo Maecia et Scaptia additae sunt. Liv. VIII, 17. Niebuhr III. p. 164. 165.

cum centurionibus atque vexillariis non amplius ter mille ducentos triginta homines habuisse [57]; manipulum praeter centuriones et vexillarium quinquaginta quatuor. Haec igitur Livius, si eos numeros exhibere volebat, quae accurate ad illa tempora quadrarent, dare debebat; sed is annalium scriptor, cujus vestigia secutus est, quum verus militum in legione numerus ea aetate perpetuo variaret, eum nominabat, quem Servius ab initio instituerat, cum omni classium suarum et centuriarum ordine arcte cohaerentem.

Arma etiam tum temporis magna ex parte eadem manebant, quae in phalange vidimus a Servio imperata [58]). Quid tum mutatum fuerit, ex Livio et Varronis quodam loco discimus. Primae classi pro clypeis scuta data fuerant; ad hanc unam enim restringendum esse, quod Livius, minus accurate loquens, ad omnes transferre videtur [59]), supra vidimus; nam secundae et tertiae jam Servius scuta dederat, quarta et quinta ne ea quidem aetate, de qua Livius loquitur, habere poterant. Mutationis ejus caussa, ni fallor, in promtu est. Non nihil in ea re aeris, ex quo clypei facti erant, auctum pretium valuerit [60]), sed graviores assumendi majoris corporum tegumenti auctores Galli fuisse videntur, qui novis armis Romanos aggrederentur; nam summa advenarum vis in gladiis erat praelongis [61]), adversus quos in parvis clypeis parum praesidii fuit. Itaque tum primum scuta pro clypeis primae classi imperata esse videntur, et quum ne sic quidem gladiorum impetum recte sustinerent, ferreus scutis margo additus est [62]). De margine Plutarchus testis est, qui id inventum Camillo tribuit, quo tempore is, tredecim post Urbem captam annis, fere octogenarius quintum et ultimum dictator adversus Gallos dictus fuerit. Ea tempestate quum universa civitas in summo Gallorum metu esset, senem ducem etiam in galeis et hastarum usu quaedam immutasse, quo facilius gladiorum ictus evitarentur [63]). Eadem fere aetate vel paullo ante primae classi eandem ob caussam scuta pro clypeis data esse conjicimus, quam sen-

57) Is numerus mire congruit cum eo, quem Livius novem annis ante bellum Latinum, quo tempore item viginti septem tribus erant, fuisse memorat. Liv. VII, 25: decem legiones scriptae dicuntur quaternum millium et ducentorum peditum, equitumque trecenorum. Sed cf. Nieb. III. p. 91. not. 146.

58) Vid. supra.

59) Liv. VIII, 8: clypeis antea Romani usi sunt: deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere.

60) Niebuhr III. p. 121.

61) Liv. XXII, 46: Gallis Hispanisque scuta ejusdem formae fere erant, dispares ac dissimiles gladii: Gallis praelongi ac sine mucronibus, Hispano, punctim magis quam caesim assueto petere hostem, brevitate habiles et cum mucronibus.

62) Cf. supra.

63) Plutarch. Camill. 40: *εἰδὼς δὲ τῆς τῶν βαρβάρων ἀλκῆς τὴν βιαιοτάτην ἐν ταῖς μαχαίραις οὖσαν, ἃς βαρβαρικῶς καὶ σὺν οὐδεμιᾷ τέχνῃ καταφέροντες ὤμους μάλιςα καὶ κεφαλὰς διέκοπτον, ἐχαλκεύσατο μὲν κράνη τοῖς πλεῖςοις ὁλοσίδηρα καὶ λεῖα ταῖς περιφερείαις, ὡς ἀπολισθαίνειν ἢ κατάγνυσθαι τὰς μαχαίρας· τοῖς δὲ θυρεοῖς κύκλῳ περιήρμοσε λεπίδα χαλκῆν, τοῦ ξύλου καθ' αὑτὸ τὰς πληγὰς μὴ ςέγοντος· αὐτὸς δὲ τοὺς ςρατιώτας ἐδίδαξε τοῖς ὑσσοῖς μακροῖς διὰ χειρὸς χρῆσθαι, καὶ τοῖς ξίφεσι τῶν πολεμίων ὑποβάλλοντας ἐκδέχεσθαι τὰς καταφοράς.*

tentiam Livius ipse juvat, qui scuta post stipendium institutum assumpta esse dicit, i. e. statim post stipendium institutum, ut verba ipsa demonstrant. Sedecim vero annis post quam Romani stipendiarii facti sunt, Roma a Gallis capta.

Hastatis levibus hasta gaesaque a Livio tribuuntur. Gaesa armorum genus sunt Gallis proprium [64]), jaculis quam hastis similius; nam Livius aperte discrimen statuit inter gaesa et hastas, et Festus gravia jacula interpretatur; quae gravitas unde fuerit, ex Hesychio et Polluce apparet, qui per *δόρυ ὁλοσίδηρον* explicat. Ea in legione Romana tum temporis quarta classis gestabat — ex ea enim hastatos leves fuisse posthac docebitur — cui hastam et veruta Servius dederat. Tum vero veruta in gaesa mutaverant, a Gallis haud dubie novum jaculorum genus mutuati.

Praeter haecce Livius de armis nihil addidit, quo definite doceret, praeterea quidquam ex antiqua eorum consuetudine mutatum fuisse. Sed est apud eum, unde jure colligamus, jam tum etiam alia novata fuisse. Nam hastatorum principumque agmen refert antepilanos appellatos esse, quia sub signis jam alii quindecim ordines locati fuerint: ex his ordinem unum quemque tres partes habuisse, quarum unam quamque primum pilum nominaverint. Ultima verba aperte corrupta sunt et mox conjectura sananda. Nunc id teneamus, quod etiam ex corruptis apparet, singulas ordinum in tertia acie partes, vel certe, ut id statim addam, aliquot earum pilos vocatos esse, id quod etiam ex antepilanorum appellatione sequitur, nam antepilani sunt, qui ante pilos vel pilanos sunt, ut antesignani, qui ante signa. Accedit Varronis auctoritas, qui triarios etiam pilanos dictos esse testatur [65]), et posterior usus loquendi. Nam notum est, in posterioris aetatis legione primum quemque triariorum manipulum primum pilum appellari solitum esse, ejusque centurionem primi pili centurionem, vel etiam primipilum, quibus nominibus non Livius solum atque Caesar, sed multo seriores quoque scriptores utuntur [66]). Quodsi primus triariorum manipulus primus pilus vocabatur, necesse est, etiam reliqui eorum manipuli pilorum nomen aut etiam

---

64) Virg. Aen. VIII, 661:

Duo quisque Alpina coruscant

Gaesa manu. Serv. ad Virg. Aen. VII, 664: pilum proprie et hasta Romana, ut gaesa Gallorum.

65) Varro de L. L. V, 16, 89: pilani triarii quoque dicti. Cf. Ovid. Fast. III, 127:

Inde pares centum denos secrevit in orbes
Romulus, hastatos instituitque decem.
Et totidem princeps, totidem pilanus habebat
Corpora.

66) Caes. B. G. V, 35: T. Balventio, qui superiore anno primum pilum duxerat. B. C. I, 46: T. Caecilius, primi pili centurio. Liv. II, 27: populus dedicationem aedis dat M. Laetorio, primi pili centurioni. VII, 41: id propter P. Salonium postulatum est ab conjuratis, qui alternis prope annis et tribunus militum et primus centurio erat, quem nunc primi pili appellant. Caes. B. G. II, 25: in his primipilo P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis gravibusque vulneribus confecto. Cf. Sueton. Calig. 44. Veget. de milit. II, 8. Forcellini s. v. primipilus, qui centurionem primi pili etiam primum pilum et primopilum appellatum esse docet.

tum gesserint, aut, cum id nusquam reperiatur iis inditum, certe olim habuerint[67]). Ad quam sententiam etiam Livii locus emendandus est, cujus verba, uti nunc sunt, pilanorum cognomem etiam ad rorarios et accensos transferunt, quod aperte falsum est. Nam quae illius nominis caussa esse poterat, nisi quod qui eo uterentur pilis armati essent[68])? Rorariis autem pila fuisse, nullum usquam vestigium est, multo etiam minus accensis, et utrisque prorsus inutilia fuissent in ea pugnandi ratione, quae iis conveniebat. Quomodo igitur pilani vel manipuli eorum pili dici poterant? Sed magis etiam mirum est, quod unum quemque triariorum, rorariorum et accensorum manipulum non pilum, sed primum pilum appellatum esse apud Livium legimus. Nam si hi omnes primi pili, ubinam secundi aut tertii quaerendi sunt, qui necessario requirerentur, ut primi haberent, cui opponerentur? Quid multa? Corrigendum Livium jam Lipsius vidit[69]) nec dubium est, quin verbis leviter mutatis rescribendum sit: e a r u m (p a r t i u m) u n a m q u a m q u e p r i m a m p i l u m v o c a b a n t, ut Lipsius conjecit, vel: e a r u m p r i m a m q u a m q u e p i l u m v o c a b a n t. Sic plana omnia et cum reliquorum scriptorum testimoniis convenientia, et hoc Livius dicit, triariorum manipulos pilos appellatos esse.

At redeamus eo, quo jam supra tendebamus, perspicuum esse ex iis, quae modo diximus, triarios in Liviana illa legione pila gestasse, quum ea tantum caussa cogitari queat, cur ipsis pilanorum, eorum manipulis pilorum nomen inditum sit. Nam ne quis existimet, appellationem istam proprie ad seriora tempora pertinere, sed errore aliquo ad tam antiqua relatam esse, recordetur, in hac una, de qua nos agimus, legione triarios pila habere potuisse, nam jam Polybii aetate triarii hastas, principes contra et hastati pila habebant[70]). — In nostra legione triariorum acies ex prima, altera et tertia classe composita erat, ad has omnes igitur haec armorum mutatio pertinebat; sed non universis earum classium centuriis hastae ademtae sunt, sed haud dubie iis tantum, quae ad triarios mitterentur.

Polybius duo pilorum genera agnoscit, crassius alterum, alterum tenuius. Tenuiora non accuratius descripsit, nisi quod modicis venabulis comparat. Crassiora aut teretia erant aut quadrangula[71]). Illa diametrum, haec latus palmare habuisse dicit, sed recte Lipsius statuisse videtur,

---

67) Non mirum, quod primi pili appellatio mansit, secundi et tertii et reliquorum in usu esse desiit. Nam in posterioris aetatis legione quum triarii non pilis, sed hastis armati essent, cur manipuli eorum pili vocarentur nulla caussa erat; primi autem pili ductus dignitas militaris facta erat, ejusque centurio totius legionis primus; quare primi pili nomen duravit, sed ita, ut eo tum maxime uterentur, quum ejus centurionem memorare vellent.

68) Varro l. l. pilani, qui pilis pugnabant.

69) Lips. de milit. lib. II. dial. 3. p. 78.

70) Polyb. VI, 23 maxime in fine: *ὁ δ' αὐτός τρόπος τῆς καθοπλίσεως καὶ περὶ τοὺς Πρίγκιπας καὶ Τριαρίους, πλὴν ἀντὶ τῶν ὑσσῶν οἱ Τριάριοι δόρατα φοροῦσιν.*

71) Quamquam Livius non nisi quadrangula agnoscere videtur. XXI, 8: falarica erat Saguntinis, missile telum, hastili abiegno et cetera tereti, praeterquam ad extremum, unde ferrum exstabat. Id, sicut in pilo, quadratum.

ne nimiae molis existerent pila, in teretibus non diametrum, sed perimetrum, in quadrangulis non unum latus, sed omnia conjuncta unius palmae fuisse [72]). Longitudo in pilis omnibus, etiam tenuioribus, eadem. Lignum quatuor pedes habebat ac dimidium, totidemque ferrum; id vero non nisi dimidia parte supra lignum prominebat, quum altera pars dimidia hastili infigeretur [73]). Ferrum hamatum et ubi ligno infixum esse desiit, unius et dimidii digiti erat. Bina singulis militibus pila Polybius dat, unum crassius, uti videtur, alterum tenuius; sic certe Vegetius sua aetate institutum fuisse docet [74]).

Haec omnia, quae de suae aetatis pilis Polybius tradit, num etiam ad remotiora ista nostrae legionis tempora referre liceat, non quaeramus; sufficiat novisse, aliquam ejus partem pila gestasse.

Haec sunt, quae ex Livio discimus jam tum ab antiqua consuetudine armorum, quibus phalanx instructa fuerat, novata fuisse. Sed pertinet huc etiam Varronis locus. Is hastatos primos hastis, principes a principio gladiis pugnasse docet [75]). In hisce verbis multa falsa sunt, sed ita, ut sic etiam utile sit, quod inde discimus. Quod hastatos p r i m o s hastas gessisse dicit, aperte erravit; inde enim reliqua militum genera postea demum hastas accepisse sequeretur; at scimus, jam Servium omnibus quatuor primis classibus hastas dedisse. At si omnes praeter ultimam classem et accensos hastis armati erant, cur uni hastatorum aciei prae ceteris nomen ab hastis inditum? Nimirum haec appellatio ea demum aetate orta videtur, qua phalanx in legionem per manipulos structam mutata est; nam de antiquissimis certe temporibus non reperitur. Tum vero probabile est propterea primae maxime aciei inditam esse, quod hujus praecipua arma hastae manerent. Nam triariis pila pro hastis data esse modo vidimus, et quid inter principum arma, quamquam hi certe etiam tum hastas retinuisse videntur, praecipuum fuerit, statim dicetur ex ipso isto Varronis loco. Quod is principes inde appellatos vult, quod a principio gladiis pugnaverint, aperte duae res sunt, quas docere vult, a principio eos pugnasse, et gladiis usos esse; nam nisi hoc alterum quoque significare voluisset, cur de gladiis quidquam addidit, quorum mentio ad

---

72) Lipsius lib. III. dial. 4. p. 183.

73) Polyb. VI, 23: τῶν δ' ὑσσῶν εἰσιν οἱ μὲν παχεῖς, οἱ δὲ λεπτοί· τῶν δὲ στερεωτέρων οἱ μὲν στρογγύλοι παλαιστιαίαν ἔχουσι τὴν διάμετρον, οἱ δὲ τετράγωνοι τὴν πλευράν· οἵ γε μὴν λεπτοὶ σιβυνίοις ἐοίκασι συμμέτροις, οὓς φοροῦσι μετὰ τῶν προειρημένων. Ἁπάντων δὲ τούτων τοῦ ξύλου τὸ μῆκός ἐστιν ὡς τρεῖς πήχεις· προσήρμοσται δ' ἑκάστοις βέλος σιδηροῦν ἀγκιστρωτόν, ἴσον ἔχον τὸ μῆκος τοῖς ξύλοις· οὗ τὴν ἔνδεσιν κατὰ τὴν χρείαν οὕτως ἀσφαλίζονται βεβαίως, ἕως μέσου τῶν ξύλων ἐνδέοντες, καὶ πυκναῖς ταῖς λαβίσι καταπερονῶντες, ὥστε μὴ πρότερον τὸν δεσμὸν ἐν ταῖς χρείαις ἀναχαλασθῆναι ἢ τὸν σίδηρον θραύεσθαι, καίπερ ὄντα τὸ πάχος ἐν τῷ πυθμένι καὶ τῇ πρὸς τὸ ξύλον συναφῇ τριῶν ἡμιδακτυλίων. Paullo aliter Vegetius de mil. II, 15: erat (pilum) quinque pedum et semis, et ferrum trigonali figura novem unciarum.

74) Veget, de milit. II, 15. cf. Lipsius lib. III. dial. 4. p. 183 sq.

75) Varro de L. L. V, 16, 89: hastati dicti, qui primi hastis pugnabant, — principes qui a principio gladiis, ea post commutata re militari minus illustria sunt.

explicandum nomen nihil facit? Quin pugnae olim initium fecerint, non dubium est, nam nomen ipsum satis testatur, et primae classi id conveniebat, quamquam in ea, quam nos describimus, legione alius fuit ordo pugnandi. At nonne mirum, quod de gladiis additur? Nam ex Servii quidem institutis ii non primae classi peculiares erant, sed communes huic cum altera et tertia, et in ea, quam Polybius describit, legione principes, hastati, triarii pariter omnes gladios gestabant. Quid igitur Varro principibus maxime gladios tribuit, non item reliquis? Verum videtur, quod Niebuhrius suspicatus est [76]), illum ad nostram legionem respexisse. In ea hastatos quidem et triarios minores suos, quos antiquitus habuerint, gladios cultris similes retinuisse, principes autem, quamquam hastae his non magis quam hastatis ademptae sint, justos accepisse gladios, quales postea omnes habuere Romani. Haec certe una ratio est, qua gladius tamquam peculiaris principibus memorari poterat, quod in his quidem praecipuus erat. Quamquam sic quoque Varronis verba non omni ex parte probanda sunt; nam quo tempore principibus proelii initium commissum erat, ipsorum gladii a reliquis nihil differebant, postquam eo armorum genere excellere coeperunt, pugnae principes esse desierant.

At complectamur, quae in nostra legione ab antiquo armorum usu mutata vidimus. Scuta pro clypeis ac justi gladii cultrorum loco principibus, levibus hastatis gaesa pro verutis, triariis pila pro hastis data erant.

Scuta jam supra diximus contra Gallos, gaesa a Gallis assumpta videri. Quaeritur, num iidem gladiorum quoque et pilorum causa fuerint. De gladiis res aperta videtur, ut iisdem armis, quibus illi maxime valerent, Romani resisterent; nam si gladiis Galli superiores esse desissent, reliqua arma minus formidolosa erant. Sed et pila contra eosdem barbaros inventa videntur. Nam Galli, ut ferarum gentium usus est, ingenti impetu in adversarios sese conjiciebant manusque conserebant. Quod si contigisset, nulla in longis Romanorum hastis contra gladiorum agilitatem utilitas, sed molestae erant ob ipsam molem, quum ne reliquis quidem armis recte uti sinerent. Non eadem in pilis incommoda, quibus cominus aeque atque eminus uti liceret ob longitudinis mediocritatem [77]), quae habilitas haud dubie caussa fuit, cur contra Gallos instituerentur. Si cui minus probetur ea sententia, Plutarchi testimonium fidem faciat. Is Camillum scribit, quum ultimum contra Gallos dictator esset, milites docuisse, pilis prompte et perite uti, et gladiis Gallorum subjicere ictusque excipere [78]). Quae verba sive ita interpretamur, ut Camillum tum demum pila invenisse existimemus, sive ita, ut iis uti tantum rectius milites docuerit,

---

76) Niebuhr III. p. 116.

77) Liv. IX, 19: Romano scutum, majus corpori tegumentum, et pilum haud paullo quam hasta vehementius ictu missuque telum.

78) Plut. Camill. 40: *αὐτὸς δὲ τοὺς ςρατιώτας ἐδίδαξε τοῖς ὑσσοῖς μακροῖς διὰ χειρὸς χρῆσθαι, καὶ τοῖς ξίφεσι τῶν πολεμίων ὑποβάλλοντας ἐκδέχεσθαι τὰς καταφοράς.*

sequitur inde, quod supra suspicati sumus, praecipuum eorum usum adversus longos Gallorum gladios fuisse.

At si probabile est, barbarorum ex Gallia adventum novumque, quo Italiam terrerent, bellum haud pauca in Romanorum armis mutasse, quae mutari non poterant, quoad phalangis instar legio instruebatur, haud absona conjectura foret, legionem ipsam eadem aetate manipulatim et per plures acies strui coeptam esse. Sed quid conjectura opus, ubi rem ita esse certissime demonstrari potest? Nam justis gladiis, quales in nostra legione principibus datos esse vidimus, et pilis certe in phalange nullus usus cogitari potest. At pilis certe Romanos usos esse in eo bello, quo tertio decimo post urbem captam anno Gallos vicisse dicuntur, Plutarchus testis est, unde sequitur, legionem jam tum per manipulos pluresque acies instructam fuisse. Jam vero Livius post stipendium institutum legionem manipulatim strui coeptam, postremo in plures ordines instructam esse scribit. Stipendium peditibus inde ab anno urbis 349 datum scimus, tertius decimus post Romam captam annus in a. U. 378 incidit; intra hos igitur triginta annos duplicem illam in legione mutationem factam esse necesse est, nec incredibile, Camillum ipsum novarum rerum auctorem fuisse [79]). Sed hic quoque Galli, quos paene continuis per triginta illos annos incursionibus Latium totamque mediam inferioremque Italiam infestam reddidisse constat, haud dubia caussa, cur ab eo, quod antiquitus institutum erat, recederetur. His enim, ut communis illorum barbarorum mos erat, praecipua victoriae spes in primi impetus vehementia fuit. Quam si sustinere aut repellere contigisset, laetior erat adversariis exitus exspectatio, quum fieri non posset, quin ipsa impetus vis, si repelleretur, Gallorum ordines perturbaret. Quodsi Romani contra hunc hostem phalangi similem aciem retinebant, simulac barbarorum audacia atque temeritas aut in fronte phalangitarum hastas aliquo loco convellisset, aut a tergo lateribusve ordinibus sese immiscuisset, quod facile erat in ingenti hominum turba, quae ab omni parte circumfunderetur, actum erat de victoria; nam nusquam, quae proelium restituerent victisque colligendi sese opportunitatem darent, subsidia erant. Ea videtur causa fuisse, cur Romani phalangem primum in plures manipulos solverent, reliqua phalangibus similes, praeterquam quod singulorum frons multo minor erat, ne omnes simul copiae proelii fortunam experirentur, sed aliqua earum pars in subsidiis esset, quae submitteretur, si res in angusto esset, deinde, quum ne hanc quidem aciei formam ad omnes casus suffecturam viderent, legionem mutatis, ut res poscebat, armis in plures acies instruerent, quae a tergo se invicem suscipientes integras semper vires adversario objicerent, si primi ordines minus prospere pugnassent. Haec illa acies est, quam Livius descripsit, innumeris victoriis destinata, omnium gentium atque aetatum admiratione digna, quam posterorum experientia excoluit, mutare non ausa est, quoad virtutis et magnitudinis Romanae aetas duravit. Quodsi verum est, quod conjecimus, Gallos, cur tam praeclara invenlren-

79) Niebuhr I. p. 501.

tur, caussam fuisse, profecto fatendum est, eosdem inimicissimos et amicissimos rei Romanae fuisse.

Sed disputatio nostra ad id pervenit, quod jam plus semel attigimus, accuratius investigare huc rejecimus, utrum legionis nostrae rationes et diversa militum genera etiamtum Servii regis classibus ac centuriis innixa fuerint, an earum in conscribendis legionibus ea aetate nulla ratio habita sit; nam in ea certe legione, quam Polybius descripsit, Servii instituta non amplius valuisse inde perspicuum est, quod tum non a censu pendebat, sed ab aetate, utrum principibus quis, an hastatis, an velitibus, an triariis adscriberetur [80]). Sed nostram legionem nondum desisse secundum Servii ordinem componi, Niebuhrius demonstravit [81]). Gravissimum ad eam sententiam argumentum est, quod et in reliqua re publica antiquus centuriarum ordo etiam tum valebat, qui paene saeculo post demum mutatus videtur. Accedit, quod centuriarum in legione Liviana numerus ad Servianas juniorum centurias, quae militiae destinatae erant [82]), accuratissime referri potest, quod fortuitum esse nequit. Nos jam supra monuimus, dubitari non posse, quin in legione Liviana aeque ac in ea, qua postea Romani usi sunt, binae in singulis manipulis centuriae fuerint. Quod si verum est, in tota legione viginti et centum centuriae efficiuntur, si accensos exceperis, qui, quod extra quinque classes erant, ad comparationem nostram nihil pertinent. Juniorum Servius octoginta quinque centurias instituerat, quadraginta in prima classe, in altera, tertia et quarta denas, quindecim in quinta; sed civium in diversarum classium centuriis multitudo diversa erat, et prima classis hac ratione reliquis longe inferior [83]). Quae si, nulla ejus rei ratione habita, tot ad exercitum centurias misisset, quot juniorum habebat, nec plures reliquae classes, non injustum modo, sed etiam grave rei publicae hoc institutum foret. Itaque admodum probabilis est Niebuhrii sententia, reliquas praeter primam et quartam classes duplicem earum centuriarum, quas juniorum haberent, numerum ad militiam dedisse, alteram et tertiam vicenas, quintam triginta, quibus si quadraginta ex prima, decem ex quarta classe addideris centurias, centum viginti in legione efficiuntur. Nec difficile intellectu, cur quartae classi minor quam secundae et tertiae militum numerus imperatus fuerit in totidem juniorum centurias, nam nulli copiarum parti periculosior in proelio sors contigerat. Pugnabant enim in prima acie cum hastatis, quo agiliores essent, nullo

80) Polyb. VI, 21, 7 sq.: *παραγενομένων δ' εἰς τὴν ταχθεῖσαν ἡμέραν, διαλέγουσι τῶν ἀνδρῶν τοὺς μὲν νεωτάτους καὶ πενιχροτάτους εἰς τοὺς γροσφομάχους· τοὺς δ' ἑξῆς τούτοις εἰς τοὺς ἁστάτους καλουμένους· τοὺς δ' ἀκμαιοτάτους ταῖς ἡλικίαις εἰς τοὺς πρίγκιπας, τοὺς δὲ πρεσβυτάτους εἰς τοὺς Τριαρίους.* Hoc loco Polybius in velitibus aetatis et census, in reliquis non nisi aetatis rationem habitam refert. De velitibus quid statuendum, vide ap. Lipsium lib. II. dial. 1. p. 64, et adde Polybium paullo post in his quoque solam aetatem respicientem: *διαιροῦσι δ' αὐτοὺς τὸν τρόπον τοῦτον, ὥς' εἶναι τοὺς μὲν πρεσβυτάτους καὶ τριαρίους προσαγορευομένους ἑξακοσίους· τοὺς δὲ πρίγκιπας χιλίους καὶ διακοσίους· ἴσους δὲ τούτοις τοὺς ἁστάτους· τοὺς δὲ λοιποὺς καὶ νεωτάτους γροσφομάχους.*

81) Niebuhr I. p. 501 sq. III. p. 112 sq.

82) Dionys. Halic. IV, 16.

83) Cf. not. 48.

corporis tegumento tuti, sed nudi adversus hostium arma. Quare quo majus in hac classe proelii periculum, eo minorem partem ei objici aequum erat.

Haec si jam conveniunt, superest ut videamus, ad quodnam copiarum in legione genus cujusque classis milites pertinuerint. Principes non dubium est, quin ex prima classe fuerint; eo enim nomen ipsum armorumque praestantia ducit, et quod Dionysius primam classem, Varro principes primarium olim pugnae locum obtinuisse testantur [84]), quamquam id in nostra legione jam mutatum erat. Sed principum triginta centuriae erant, prima classis quadraginta dabat, ut decem ex iis superessent. Has ad triarios rejectas esse consentaneum est, non sorte aliqua ex universa multitudine electas, sed ut fortissimus quisque et rei militaris peritissimus in has centurias colligeretur [85]). Alteri classi viginti centuriae imperatae. Has hastatis attribuere possemus, quindecim eorum manipulos additis decem quartae classis centuriis explentes; nam leves, quiorum Livius scribit tertiam in singulis hastatorum manipulis partem fuisse, milites ad quartam classem referendos esse arma satis demonstrant. Ita si statuimus, tertia et quinta classes relinquuntur. Quintam rorarios dedisse ex armis perspicuum est [86]), tertia centurias suas ad explendos triariorum manipulos dare poterat. Sed repugnat Livii auctoritas, qui triarios veteranum militem spectatae virtutis fuisse testatur, quod difficile intellectu est quomodo verum esse potuerit, si omnes quartae classis centuriae ad triarios pertinebant, quum certe non omnes ejus classes milites veteranos et spectatos ob virtutem fuisse consentaneum sit. Quare sic potius statuendum est, denas ex altera et tertia classe centurias hastatis, denas triariis attribui solitas esse, quam sententiam et ipsum triariorum nomen comprobare videtur, quod recte Niebuhrius sensit non eos significare potuisse, qui tertio loco starent, sed qui ex tribus compositi essent partibus [87]).

Quodsi triarii ex tribus, hastati praeter leves ex duabus classibus compositi erant, quaeritur, num eadem acies diversis armis instructa fuerit. In hastatis haud magna res foret, quum altera classis a tertia non nisi ocreis differat; paullo majus in triariis discrimen, ubi primae classis cen-

---

84) Dionys. Halic. IV, 16: χώραν δὲ κατεῖχεν ἡ νεότης (primae classis) ἐν τοῖς πολέμοις τὴν προαγωνιζομένην τῆς φάλαγγος ὅλης. Varro de L. L. V, 16, 89.

85) Liv. VIII, 8: primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatae virtutis.

86) Cf. supra.

87) Niebuhr III. p. 117. Niebuhrius eo tantum ad fulciendam illam sententiam argumento usus fuit, quod in nomine ipso est, alterum illud, ex Livii verbis sumptum, ideo aspernans, quod falsa statuit et ex seriore legione huc translata, quaecunque de aetatis inter singulas acies discrimine dicta sunt (Nieb. III. p. 118). Equidem non video, quidni triarios certe, quum ex selectis trium classium centuriis compositi essent, jam tum aeque ac postea aetate atque experientia militari reliquas copias superasse credibile sit. Minus in principibus et hastatis affirmare ausim, vera esse, quae Livius de aetatis discrimine dicit, et ad hos fortasse errore transtulit, quae non nisi ad triarios pertinerent. Sed fortasse ne de his quidem prorsus falsa retulit. Nam si ex prima classe quarta tantum pars ob validiorem aetatem triariis adscribebantur, ex altera et tertia vero dimidia, inter principes, qui aetate valerent, plures relictos esse quam inter hastatos, perspicuum est.

centuriae reliquas justis gladiis, loricis et ocreis superarent. Quae armorum diversitas si cui displicet in eadem acie, haud incredibile est, jam tum alteri classi loricas, tertiae has et ocreas datas fuisse, quamquam equidem, quum totum corpus scuto tegeretur, facile tulerim, si non omnes ejusdem aciei milites pariter ocreis et loricis instructi fuere. Ad gladios quod pertinet, decem primae classis centuriae, quae ad triarios mitterentur, fortasse etiam tum antiquos cultros retinebant, ut non nisi principes justis gladiis armati essent; sed non video, quidni gladii triariis diversi esse potuerint.

Armatis sic et instructis militibus, jam ad pugnam ipsam Livium sequamur. Ab hastatis justi proelii initium erat. Sed antequam hi cum hostibus congrederentur, non dubium est, quin rorarii, ut postea velites [88]), adversarium lacessentes suo in pugna officio functi sint; nam proelio ipso commisso operam suam praestare non facile poterant. Livius, quando aut quomodo pugnarint prorsus omittens [89]), id unum tradit, in acie eos post triarios consedisse; eo igitur, quando hastatis pugnae suscipiendae tempus venerat, se receperint necesse est, proelii posthac plerumque expertes. Si hastatorum ordines premebantur, nec pellere hostes poterant, paullatim pedem referentes per principum intervalla, qualia inter singulos omnium acierum manipulos relicta erant, sese recipiebant. Quod quo facilius fieri possit, acies sic instructa erat, ut manipulis in quincuncem dispositis principum manipuli hastatorum intervalla sive vias a tergo clauderent, hastatorum manipuli principum viis oppositi essent, eademque inter principum et triariorum ordines ratio observaretur, hoc modo:

□ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ Hastati.
 □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ Principes.
□ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ □ Triarii.

Quem manipulos disponendi morem etiam postea servarunt [90]). — Hastati igitur, si premebantur, per principum vias retrocedebant, principes progrediebantur pugnam suscipientes, hastati jam secundum locum tenebant. Si principes quoque minus prospere pugnarent, pedem et ipsi

88) Lipsius lib. IV. dial. 2. p. 242.

89) Vide tamen, quae VIII, 9 sub finem scripsit. Ibi Decio consule occiso Romanos, velut tum primum signo dato coortos, pugnam integram edidisse narrat. Nam rorarios procurrisse inter antepilanos, viresque addidisse hastatis ac principibus. Unde satis apparet, quod supra dedimus, a rorariis proelii initium fieri solitum.

90) Polybius XV, 9 Scipionem in pugna ad Zamam rem paullum mutasse scribit, sed ita ut contra morem id faceret. Disposuerat autem copias sic, ut viae illae inter manipulos per hastatos, principes et triarios rectae essent, ut elephantes sine noxa inter ordines percurrerent: *ὁ μὲν Πόπλιος ἔθηκε τὰς τάξεις τῶν ἰδίων δυνάμεων τὸν τρόπον τοῦτον· πρώτους μὲν τοὺς ἁστάτους καὶ τὰς τούτων σημαίας ἐν διαστήμασιν· ἐπὶ δὲ τούτοις τοὺς πρίγκιπας, τιθεὶς τὰς σπείρας οὐ κατὰ τὸ τῶν πρώτων σημαιῶν διάστημα, καθάπερ ἔθος ἐστὶ τοῖς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ κατ' ἀλλήλους ἐν ἀποστάσει διὰ τὸ πλῆθος τῶν παρὰ τοῖς ἐναντίοις ἐλεφάντων.* Vide de eadem pugna Appianum: *λόχους δὲ ὀρθίους ἐποιεῖτο πάντας.* Cf. de tota illa intervallorum ratione Lips. lib. IV. dial. 1. p. 232 sq.

paullatim referebant; triariis jam quid possent experturis. Ii ne stando nimis fatigarentur, telisve hostium ante quam ipsi manus consererent vulnerarentur [91]), hucusque sub vexillis suis consederant, dextro crure porrecto, ut, si opus esset, statim consurgerent, scutis humero innisis, ut instar muri haec sepes munimenta praeberet, pilis cuspide in terra fixis [92]). Principibus laborantibus consurgebant, ac principibus hastatisque per intervalla manipulorum suorum receptum dabant; tum vero, quum jam viis istis non amplius opus esset, compressis ordinibus claudebant, et in hostem incidebant, non jam manipulatim structae aciei, sed phalangis speciem praebentes. Hunc impetum formidolosissimum hosti fuisse Livius testatur, quum pro victis integri et recentibus viribus validi contra fessos exsurgerent. Ac facile, nisi adversariis quoque subsidia erant, quae pugnam susciperent, paene parta jam victoria extorqueri poterat. Sed si triarii quoque pulsati essent, nulla praeterea victoriae spes Romanis manebat, nam ut hastati vel principes post triarios pugnam iterarent, ut apud nos eadem copiarum pars semel fugata reducitur, deinde novis viribus collectis iterum et tertio hosti objicitur, moris certe non erat, quamquam interdum id quoque factum esse non negaverim. Nam quae Livius de universa pugnae ratione tradit, communia erant et usitata, non ita necessaria, ut nunquam a recepto more posset recedi. Itaque interdum fortasse principes et hastati etiam post triarios aut una cum his iterum pugnarunt, sed contra morem; nam id semper Romanis institutum fuit, ut idem militum genus, si semel manus conseruisset, cum summa omnium virium contentione pugnaret, nec prius revocaretur, quam omni ex parte exhausti essent. Quo fieri poterat, ut vel cum minore manu pugnam diutius sustinerent, et hostem fatigarent, ipsisque denique integra manus superesset, quum adversarius nihil jam virium haberet; sed si qua pars Romanorum denique labore defuncta esset, haud facile novas vires colligebat.

Sic fere Livius proelium Romanorum, quale belli Latini aetate fuerit, descripsit, nec postea in summa rerum multa mutata videntur. Equitum et accensorum in pugna partes prorsus omisit. Ubi equites in acie collocati fuerint, ex eo facile colligitur, quod postea usitatum fuit, accensos posterior aetas non novit. Equitum locus aut in cornibus erat, quod maxime commune, ut pedites medios haberent, aut a tergo legionum, relictis, per quas erumpere possent, viis [93]). Idem in nostra legione moris fuisse verisimile est. De accensis supra vidimus dubitari posse, an, uti in acie post rorarios sedebant, sic eosdem ad proelium committendum secuti essent, lapides porrecturi, si illis deessent. Id certum est, si quis cecidisset, in mortui locum, armis ejus acceptis, successisse [94]).

---

91) Veget. de milit. I, 20.

92) Livius VIII, 8 scribit, triarios hastas subrecta cuspide in terra fixas habuisse, minus accurate, quum pila dicere deberet.

93) Lipsius lib. IV. dial. 2. p. 243.

94) Cf. supra. Niebuhr I. p. 503.

Demonstratum est, quid diversa militum genera in proelio officii habuerint, et quo modo se invicem exceperint; sed id non sufficit ad accuratam pugnae imaginem animo repraesentandam. Singuli in quoque genere milites quaeritur quomodo suas laboris ac certaminis partes expleverint. Diligenter rem Niebuhrius in ea legione, qua postea Romani uti solebant, illustravit [95]), quae descriptio etiam ad nostram fere quadrat, quamquam paullulum diversa fuit pugnandi ratio, quum postea omnes milites justos gladios gererent, pila principes et hastati, triarii hastas, antiquitus principes tantum justis gladiis instructi essent, pila triarii, hastas principes et hastati haberent.

Maxima ad concipiendam distinctam, quomodo singuli pugnaverint, notionem difficultas in eo est, quod ordines tot membris instructos fuisse constat [96]), quo facto non statim intelligitur, quomodo omnes pugnae participes fieri potuerint. Neque affirmaverim, in hastatis quidem nostris id factum esse. Quorum arma si contemplamur, hastam ac cultrum, dubitari non potest, quin phalangis instar pugnaverint, non singulorum arte victoriam quaerentes, sed cunctorum vi et impetu. Quod si verum est, primi tantum ordines certaminis participes esse poterant, nisi forte prima membra cecidissent, ut res ad sequentia rediret. Sin aliquot tantum milites in primo ordine occiderentur, ex secundo membro primum, ex tertio secundum expletum, et sic porro, ut in ultimo denique lacuna relinqueretur, in quam ex accensis aliquis succederet.

Eandem pugnandi rationem in principibus statueremus, nisi hi jam tum praeter hastas gladios gestassent. Quamdiu hastis pugnabantur, non facile fieri poterat, ut unum membrum alteri succederet; sed ubi gladiis res geri coepisset, eosdem semper in fronte hosti oppositos fuisse, dum aut caderent aut adversarios pellerent, non credibile est; nam quum hastis pugnabatur, novissima membra impellendo certe priores utilia esse poterant, quum ad gladios ventum erat, prorsus inutilia fuissent. Tum igitur singula membra sibi invicem successisse credibile, quod sine ulla difficultate fiebat, quum, ut singuli trium acierum manipuli, sic singuli in quoque manipulo milites in quincuncem dispositi essent. Itaque signo dato secundum membrum progrediebatur, primo pedem referente, dum ultimo loco consisteret. — Triarii pilis armati erant, quorum eminus aeque ac cominus usus erat. Sed triarii certe eminus pugnare non poterant, quum instaret hostis et longe ante manus conseruisset, quam illi consurgerent. Itaque pilis ad ictum utebantur, ut gladiis principes, in quo pugnae genere novissimorum ordinum haud major utilitas fuisset, quam apud principes, nisi defatigatis novi semper et integri in primum locum successissent. Quare idem in his, quod in principibus, institutum fuisse credibile est.

Sic pugnantem legionem descripsimus; superest in fine disputationis, ut instructam eandem ante proelii initium oculis proponere conemur, quantum id incertis et ambiguis multis, quae huc pertinent, rebus fieri potest.

---

95) Niebuhr III. p. 516 sq.

96) Vid. supra.

In fronte quindecim manipulos habemus, sexaginta, si Livii numeros sequimur, in singulis milites. Qui si decem membris instructi erant, seni in manipuli fronte armati stabant, sin duodecim membra erant [97]), frons quinos milites habebat. Sumamus decem membra fuisse, ut certi aliquid habeamus, quo descriptio nostra inniti queat: nonaginta in fronte totius aciei milites efficiuntur. Quid spatii singulis ad pugnam instructis concessum fuerit, Polybius docet. Is militem Romanum scribit cum armis *ἐν τρισὶ ποσὶν* stetisse, i. e. explevisse tot pedum spatium, idque quadratorum, uti ex comparatione phalangis Macedonicae apparet [98]). Macedones sic instructi erant, ut praeter tres illos pedes inter singulos phalangitas neque a latere neque a tergo intervalla essent, sed alter alterum contingeret. Romani autem ad liberiorem armorum usum vacuo trium pedum spatio a latere et tergo inter se sejuncti erant. Itaque si sex in cujusque manipuli fronte milites stabant, sequitur, eum unius et triginta pedum spatium obtinuisse, unde in totius hastatorum aciei, quae ex quindecim manipulis composita erat, frontem quadringenti sexaginta quinque pedes efficiuntur. Sed ea computatio sic demum vera esset, si nulla inter manipulos intervalla interposita fuissent, quae quanta fuerint prorsus ignoramus, et credibile, multum in ea re pro tempore et loco variatum esse. Itaque in eo acquiescendum, ut sciamus, legionis, quam supra descripsimus, frontem quadringentorum sexaginta quinque pedum futurum fuisse, nisi quatuordecim inter quindecim manipulos intervalla interposita fuissent; quae quum tam ampla esse oporteret, ut progredientibus aut retrocedentibus manipulis per ea transitus esset, certe non plus quam dimidia parte minora esse poterant, quam quod spatium manipuli ipsi obtinebant, quo facto totius aciei frons septingentorum fere pedum efficitur. Minus longe, uti videtur, latera legionis patebant. Si seni, ut sumsimus, in manipuli fronte homines structi erant, decem illum membra habuisse sequitur, ut quinquaginta septem pedes manipuli latus pateret. Id vero non cadit nisi in hastatos, principes et triarios, non in rorarios atque accensos, quibus multo minore spatio opus erat, non ad pugnandum instructis. Quod quantum fuerit quum ignoremus, hi computatione nostra statim excludendi, praesertim quum ad aciem vix pertineant. Sic hastatorum, principum et triariorum manipuli supersunt. Ii si uno continenti ordine instructi fuissent, totius legionis latus praeter accensos et rorarios centum septuaginta unum pedem pateret. Sed constat singulas acies viis transversis disjunctas fuisse, quae quantae fuerint aeque ignoramus ac quam late singulorum manipulorum intervalla patuerint, nec quidquam est nisi conjectura, quod Lipsius principes ab hastatis quinquaginta, triarios a principibus centum pedes remotos fuisse vult, ad castrorum similitudinem [99]). In his igitur certi nihil statui posse videtur.

---

97) Cf. supra.

98) Polyb. XVIII, 13: *ἵσταται μὲν οὖν ἐν τρισὶ ποσὶ μετὰ τῶν ὅπλων καὶ Ῥωμαῖοι* (sicut Macedones)· *τῆς μάχης δ' αὐτοῖς κατ' ἄνδρα τὴν κίνησιν λαμβανούσης, διὰ τὸ τῷ μὲν θυρεῷ σκέπειν τὸ σῶμα, συμμετατιθεμένους ἀεὶ πρὸς τὸν τῆς πληγῆς καιρόν, τῇ μαχαίρᾳ δ' ἐκ καταφορᾶς καὶ διαιρέσεως ποιεῖσθαι τὴν μάχην, προφανὲς ὅτι χάλασμα καὶ διάστασιν ἀλλήλων ἔχειν δεήσει τοὺς ἄνδρας ἐλάχιστον τρεῖς πόδας κατ' ἐπιστάτην καὶ κατὰ παραστάτην.* Diversa Vegetius refert, de quo vid. Lips. lib. IV. dial. 8. p. 286. De Macedonum phalange cf. Polyb. l. l. cap. 12.

99) Lipsius lib. IV. dial. 1. p. 233 sq.

Jahresbericht
von Ostern 1835 bis Ostern 1836.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

I. *Prima.* Ordinarius: Professor Starke.

1. Sprachunterricht.

Latein. Cic. Verrin. Act. I. und II. Lib. I. 2 St. Extemporalia, Exercitia und eigene Ausarbeitungen 2 St. Professor Starke. Horat. Epist. Lib. I. — II. 2 St. Dr. Kampe. Taciti Germ. und Annal. Lib. I. 2 St. Im Sommer: Professor Starke; im Winter: Dr. Kämpf. Zusammen 8 Stunden wöchentlich.

Griechisch. Sophoclis Oed. Colon. und Antigona 2 St. Platonis Gorgias und Symposium 2 St. Professor Starke. Herodot. Lib. V. — VI. 1 St. Lehrer Krause. Hom. Odyss. Lib. X. — XVI. incl. im Sommer 2, im Winter 1 St. Dr. Kampe.

Deutsch. Beurtheilung der gelieferten Arbeiten, Uebung in freien Vorträgen und Erklärung deutscher Klassiker 2 St. Professor Starke. Deutsche Litteraturgeschichte bis zur Mitte des achtzehnten Jahrhunderts 1 St. Im Sommer: Professor Starke; im Winter: Dr. Kampe. Zusammen 3 Stunden wöchentlich.

Französisch. Aufsätze und Extemporalia 1 St. Lesung mehrerer Stücke aus dem 2ten Theile des Handbuchs von Ideler und Nolte 1 St. Dr. Kämpf. Zusammen 2 Stunden wöchentlich.

Hebräisch. Im ersten Semester ausgewählte Psalmen; im zweiten das Buch der Richter, verbunden mit Einübung der Syntax 2 St. Dr. Kampe.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Christliche Glaubenslehre 2 St. Professor Starke.

Mathematik. Im Sommer: Lehre von den syntaktischen Operationen und den Reihen 2 St. Kegelschnitte geometrisch entwickelt 2 St. Im Winter: Die Lehre von den Kegelschnitten analytisch dargestellt 2 St. Anwendung der Lehre von den Functionen und Reihen, so wie der syntaktischen Operationen auf Algebra und Geometrie 2 St. Oberlehrer Könitzer. Zusammen 4 Stunden wöchentlich.

Physik. Lehre von der Luft, der Electricität, dem Magnetismus und dem Lichte 2 St. Oberlehrer Könitzer.

Geschichte. Allgemeine Geschichte von der Entdeckung Amerika's bis auf unsere Zeit, nach Haacke. 3 St. Professor Krüger.

Geographie. Im Sommer: Die Alpengebirge und die Karpathen. Im Winter: Orographische Darstellung von Deutschland, Frankreich, Spanien und Italien. 1 St. Dr. Kampe.

Philosophie. Im Sommer: Einleitung in das Studium der Logik. Im Winter: Uebersicht der griechischen Philosophie. 1 St. Professor Starke.

II. *Secunda.* Ordinarius: Dr. Kampe.

1. Sprachunterricht.

Latein. Ciceronis Orat. pro Milone, in Catilin. I. und II. 2 St. Terent. Andria, Heautont. 2 St. Stylübungen 2 St. Dr. Kampe. Liv. Lib. II. — III. incl. 2 St. Dr. Kämpf. Extemporalia 1 St. Professor Starke. Zusammen 9 Stunden wöchentlich.

Griechisch. Hom. Ilias Lib. VII. — XVII. 3 St. Dr. Kampe. Xenoph. Cyrop. Lib. II. — III. incl. 2 St. Griechische Syntax und Exercitia 2 St. Dr. Kämpf. Zusammen 7 Stunden.

Deutsch. Erklärung deutscher Gedichte, verbunden mit Metrik, Aufsätze und Uebung in der Disposition gegebener Themata. 2 St. Dr. Kampe.

Französisch. Auserlesene Stücke aus dem Handbuche von Ideler und Nolte Th. I. Grammatik und Exercitia 2 St. Im Sommer: Dr. Kämpf; im Winter: Oberlehrer Könitzer.

Hebräisch. Grammatik und Anleitung zum Uebersetzen 2 St. Oberlehrer Könitzer.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Einleitung ins Alte und Neue Testament und biblische Theologie 2 St. Dr. Kampe.

Mathematik. Im Sommer: Lehre von den Potenzen und Wurzelgrößen, Logarithmen und Gleichungen des ersten Grades 2 St. Die Lehre von der Aehnlichkeit und Kreisberechnung 2 St. Im Winter: Gleichungen mit mehreren unbekannten Größen, quadratische Gleichungen und An-

wendung der Logarithmen und Gleichungen des 2ten Grades 2 St. Elemente der ebenen Trigonometrie 2 St. Oberlehrer Könitzer. Zusammen 4 Stunden wöchentlich.

Physik 2 Stunden. Combinirt mit Prima.

Geschichte. Im Sommer: Geschichte Macedoniens und der aus dem macedonischen Reiche entstandenen Staaten, nebst Geschichte von Carthago und Sicilien. Im Winter: Geschichte der Römer. 3 St. Dr. Kampe.

Geographie. Oceanographie, nach Roon. Geographie von Amerika 1 St. Dr. Kampe.

III. *Tertia.* Ordinarius: Dr. Kämpf.

1. Sprachunterricht.

Latein. Caesar de bello Gallico Lib. VII. und II. 2 St. Ovid. Metam. Lib. IV. — VII. mit Auswahl. 2 St. Exercitia und Syntax, nach Zumpt und Krebs. 2 St. Dr. Kämpf. Cornel. Nep., Pelopidas, Agesilaus, Phocion, Iphicrates, Chabrias, Timotheus und Timoleon. 2 St. Lehrer Krause. Extemporalia 1 St. Professor Starke. Zusammen 9 Stunden.

Griechisch. Der etymologische Theil von Buttmann's Schulgrammatik bis zu den unregelmäßigen Verbis incl. Exercitia, nach Heß. 3 St. Dr. Kämpf. Xenoph. Anab. Lib. II. und III. 3 St. Lehrer Krause. Zusammen 6 Stunden wöchentlich.

Deutsch. Erklärung ausgewählter Stücke aus deutschen Klassikern. Aufsätze und Uebung im deklamatorischen Vortrage. 3 St. Dr. Kämpf.

Französisch. Uebersetzung aus Hecker's Lesebuche. Exercitia und Grammatik, nach Hirzel. 2 St. Professor Krüger.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Im Sommer: Uebersicht der christlichen Kirchengeschichte. Im Winter: Biblische Geschichte des A. Testaments, nebst Kenntniß der einzelnen Bücher desselben. 2 St. Professor Krüger.

Mathematik. Im Sommer: Elemente der Geometrie bis zu den Sätzen von der Kreisrechnung. 4 St. Schulamts-Candidat Hoffmann. Im Winter: Anfangsgründe der Buchstabenrechnung bis zu der Lehre von den Potenzen und Wurzeln incl. 4 St. Lehrer Lehmann. 4 Stunden wöchentlich.

Physik. Im ersten Semester: Lehre von den allgemeinen Eigenschaften der Körper bis zu den flüssigen Körpern incl., nach Fischer. Im zweiten Semester: Die Lehre von der Luft, der Electricität, dem Magnet und dem Licht. 2 St. Oberlehrer Könitzer.

Geschichte. Im Wintersemester: Alte Geschichte bis 476 post Christ. Im Sommer: Geschichte des Mittelalters, nach Haacke's Andeutungen. 2 St. Oberlehrer Könitzer.

Geographie. Im Sommer: Scandinavien und Rußland. Im Winter: Britanien, die Niederlande, Frankreich und die Schweiz. 2 St. Oberlehrer Könitzer.

IV. Quarta. Ordinarius: Lehrer Krause.

1. Sprachunterricht.

Latein. Eutrop. Lib. IX. — X. und Lib. I. — II. 3 St. Wiederholung der Formenlehre und Syntax der lateinischen Grammatik, nach Schulz, verbunden mit schriftlichen Uebungen und Exercitien über gemischte Regeln, nach Krebs. 4 St. Lehrer Krause. Im Sommer: Phaedri fab. Lib. IV. 2 St. Lehrer Lehmann. Im Winter: Corn. Nep., Miltiades und Themistocles. 2 St. Schulamts-Candidat Hoffmann. Zusammen 9 Stunden wöchentlich.

Griechisch. Formenlehre, nach Buttmann's griechischer Schulgrammatik, verbunden mit griechischen Exercitien, nach Heß. Uebersetzung aus Jacobs griechischem Lesebuche Curs. I. 4 Stunden wöchentlich. Lehrer Krause.

Deutsch. Grammatik und schriftliche Uebungen 2 St. Lese- und Declamirübungen 1 St., zusammen 3 St. wöchentlich. Lehrer Krause.

Französisch. Anfangsgründe der Grammatik, Uebersetzen und Exercitia, nach Hecker. 2 Stunden. Im Sommer: Lehrer Lehmann; im Winter: Professor Krüger.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Uebersicht des Hauptinhalts der Bücher des Neuen Testaments, nach Krummacher's Bibelkatechismus. Christliche Glaubenslehre, nach dem lutherischen Katechismus. 2 Stunden. Lehrer Krause.

Rechnen. Die zusammengesetzteren Proportions-Rechnungen, nach Hartung und Ferbitz. 2 St. Lehrer Brink. Anfangsgründe der Geometrie und allgemeinen Arithmetik. 2 St. Oberlehrer Könitzer. Zusammen 4 Stunden wöchentlich.

Geschichte. Im Sommer: Deutsche Geschichte; im Winter: Brandenburgisch-preußische Geschichte, nach Haacke's Andeutungen für den vorbereitenden historischen Unterricht. 2 Stunden Professor Krüger.

Geographie. Im Sommer: Geographie des preußischen Staates; im Winter: Geographie von Deutschland, nach Volger's Leitfaden. 2 St. Professor Krüger.

Naturbeschreibung. Im Sommer: Kenntniß derjenigen Pflanzen, welche in der Umgegend gewöhnlich vorkommen. Im Winter: Zoologie und Mineralogie, mit besonderer Berücksichtigung der Gattungen, nach Goldfuß und Werner. 2 St. Lehrer Lehmann.

3. Technische Fertigkeiten.

Schreiben nach Vorschriften von Henning und Hornung. 2 St. Lehrer Brink.

V. *Quinta.* Ordinarius: Lehrer Lehmann.

1. Sprachunterricht.

Latein. Formenlehre, nach Schulz. Wiederholung des Cursus von Sexta. Einübung der unregelmäßigen Verba. Schriftliche Uebungen im Uebersetzen aus dem Lateinischen ins Deutsche, und aus dem Deutschen ins Lateinische, nach Blume's Elementarbuche. 6 St. Lehrer Lehmann. Mündliche Uebungen im Uebersetzen 2 St. Im Sommer: Schulamts-Candidat Hoffmann; im Winter: Schulamts-Candidat Heinrich. Zusammen 8 Stunden wöchentlich.

Deutsch. Uebungen im Lesen, in der Orthographie, im Nachbilden kleiner Erzählungen und in Anfertigung anderer Aufsätze. Grammatik, nach Heyse. 4 St. Lehrer Lehmann. Declamationsübungen 1 St. Lehrer Brink. Zusammen 5 Stunden wöchentlich.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Bibellesen und Erklärung einzelner Abschnitte des Neuen Testaments mit Bezug auf christliche Glaubens- und Sittenlehre. 2 St. Lehrer Lehmann.

Rechnen. Die 4 Species in einfach und mehrfach benannten Zahlen, mit Brüchen, und die Regel de tri mit Brüchen, nach Ferbitz. Uebungen im Kopfrechnen. 4 Stunden wöchentlich. Lehrer Brink.

Geschichte. Auswahl umfangreicherer Begebenheiten aus der alten, mittleren und neueren Zeit, nach Haacke. 2 St. Professor Krüger.

Geographie. Allgemeine Geographie von Europa, nebst einer kurzen Uebersicht der anderen Welttheile, nach Volger. 2 St. Professor Krüger.

Naturbeschreibung. Im Sommer: Beschreibung einzelner Pflanzen, nach dem System von Linné geordnet. Im Winter: Zoologie und Mineralogie, mit besonderer Berücksichtigung der Ordnungen, nach Goldfuß und Werner. 2 St. Lehrer Lehmann.

3. Technische Fertigkeiten.

Schreiben nach Vorschriften von Henning und Hornung. 3 St. Lehrer Brink.

VI. *Sexta.* Ordinarius: Lehrer Brink.

1. Sprachunterricht.

Latein. Formenlehre, nach Schulz, bis zu den 4 Conjugationen incl. erlernt und durch mündliche und schriftliche Uebungen eingeprägt. Uebungen im Lesen und Uebersetzen, nach Blume. 6 St. Schulamts-Candidat Hoffmann.

Deutsch. Grammatik, nach Heyse. Orthographie, Deklamations- und Leseübungen. Anfertigung kleiner Aufsätze. 4 St. Im Sommer: Professor Krüger; im Winter: Schulamts-Candidat Hoffmann.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Biblische Geschichte des Alten und Neuen Testaments. Glaubenslehre nach dem lutherischen Katechismus. 2 St. Lehrer Brink.

Rechnen. Die 4 Species in einfach und mehrfach benannten Zahlen, nebst der einfachen Regel de tri, nach Ferbitz. Uebungen im Kopfrechnen. 4 St. Lehrer Brink.

Geschichte. Biographien der welthistorischen Personen aus der alten, mittleren und neueren Zeit, nach Haacke. 2 St. Lehrer Brink.

Geographie. Erläuterung der geographischen Vorbegriffe. Allgemeine Uebersicht der Länder Europa's. 2 St. Lehrer Brink.

Naturbeschreibung. Im Sommer: Kenntniß der hauptsächlichsten Formen der Pflanzentheile, erläutert an Pflanzen. Im Winter: Zoologie und Mineralogie, mit besonderer Berücksichtigung der Klassen, nach Goldfuß und Werner. 2 St. Lehrer Lehmann.

3. Technische Fertigkeiten.

Schreiben nach Vorschriften von Henning und Hornung. 4 St. Lehrer Brink.

Gesangunterricht.

Die Anfänger wurden in den Elementen der Musik unterrichtet, und im Treffen leichter Intervallen und kurzer Sätze geübt. Gesungen wurden einstimmige Lieder und Choräle, vierstimmige Arien und Psalmen für Männerstimmen. 5 Stunden wöchentlich. Musik-Director Wilke.

Unterricht im Zeichnen.

Die Schüler wurden in 3 Abtheilungen theils mit Nachzeichnen gerader und krummer Linien, theils mit den Elementen des perspectivischen Zeichnens und der Schattirung, theils mit Copiren gut ausgeführter Zeichnungen beschäftigt. 8 Stunden wöchentlich. Lehrer Masch.

